

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
VARIOLA  
HUMANA VERA.

---

Amicis et collegas dilectissimis

D. D.

Friederico Bleeker

Med. Doct.

N.H.

m. p. l. m.

affat

Auctoz

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
VARIOLA  
HUMANA VERA,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

FRANCISCUS XAV. PRINZ,

Austriacus Vindobonensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die 1833.

---

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

PER ILLUSTRUM  
DOCTISSIMUM AC CELEBERRIMUM  
DOMINO  
**FRANCISCO GÜNTNER,**  
MEDICINAE DOCTORI,  
NOSOCOMII CAESAREO - REGII UNIVERSALIS NEC NON  
BREPHOTROPHEI  
DIRECTORI DIGNISSIMO,  
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE VIENNENSIS  
SODALI,  
IN METROPOLI AUSTRIAE  
MEDICO PRACTICO SUMME VENERATO,

V I R O  
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,  
I N G E N I O  
N E C N O N  
H U M A N I T A T E  
A E Q U E I N S I G N I,  
D E S E O P T I M E M E R I T O

I N S U M M A E G R A T I T U D I N I S E T V E N E R A T I O N I S T E S S E R A M  
T E N U E S H A S C E S T U D I O R U M P R I M I T I A S S A C R A T

d e v i n c t i s s i m u s  
A u c t o r .

## Vir Clarissime!

Cunctante TIBI tenues hasce pagellas offero manu et nonnisi gratum animum publice profitendi fervor, qua TUUM opusculo adrogavi nomen, excusare valet audaciam. TU enim, qui observante aegrorum salutem humane regis mente, tironem medicum, insigni humanitate acceptum, paterno tuebaris favore et benigno nullo non tempore assequeris elementia, quorum omnium fructus TIBI in acceptis referre sincera cogit conscientia.

Accipies ergo, quae praebeo minuta, consueta TUA indulgentia in gratitudinis, amoris et venerationis perpetuae TIBI sacratum monumentum. Noli maculis offendi: »Quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura.«

Tibi devinctissimus

*Auctor.* ●

## Definitio et symptomata.

**V**ariolae humanae verae nomine venit: processus morbosus peculiaris e contagio contagiosus, exanthemate pustuloso, determinatae formae, febrili, typico adparens, secundae infectionis immunitatem relinquens.

Variolae Lat. *Kinderblattern*, *natürliche Blattern*, *wahre Pocken*, *Urschlechten* Germ. *La petite vérole* Gal. *Vajuolo* Hol. *Smallpox* Angl. *Kinder Pokjes* Belg. Plouquetio *Aeolecthy-ma* dicitur, a graeco *αιολος* variegatus et *εκθυμα* efflorescentia.

## Brevis conspectus historicus.

Prima variolarum origo antiquitatis tenebris abscondita latet, nec regio nec causa, quibus ortum debent, certe hucusque erui potuerant, attamen cum aliqua probabilitate asserere licet, morbum illum, generi humano infestissimum, nec Graecis nec Romanis notum fuisse; cui opinioni *Hahnii* quidem repugnat, ast *Grunerus* egregie demonstravit, fallacia fuisse variolarum simulacra quae illi in veterum libris adparere. „Verosimillimum autem est, dicit *Th. Sydenhamus*, ne quid dicam audacius, variolas nondum „tunc temporis in rerum natura repertas fuisse. Si enim „per antiquiora tempora, perinde atque hic morbus in „valuisset, sagacissimum Hippocratem, opinor is nunquam latuisset, qui cum morborum historias et clari- „us intellexerit et descripserit accuratius, quam post-



„natorum quispiam, et hujus etiam descriptionem genuinam atque simplicem pro suo modo nobis reliquisset.“ Et ut medicae artis fundator, ita et *Galenus* de variolis tacet. Historia et mythos Graecorum illius stragis nullam tradiderunt mentionem.

Quocirca opinari fas erit certas, quamvis nobis, heri natis cras forte interituris, incognitas planetae nostri, iuno universi conditiones novorum morborum causam praebere.

An vero, quamvis latuerint Graecos, longe ante Hippocratem et in terrae quadam plaga, nec illis nota, cujus monumenta nec ad nos pervenere, jam millenos occiderint variolae, hoc decidere nec quisquam certe valebit. Quid enim auctorum antiquitas, utique aevi multo productioris, cum mundi aetate collata! Fors posteris Sinensium fastos, cognitis reliquis hucusque antiquiores, pervolventibus, has tenebras ad crepusculum reducere continget. Id quod sperare eo magis licebit, quum jam doctissimus Anglus *Moore* referat, variolas in regno Sinense circa annum 1722 ant. Chr. nat. observatas ac in proprio libro *Theon-tschifusu* descriptas fuisse, porro edoceat Brachmanorum traditionis antiquissimam declarasse labem, in cujus tutelam Indorum mythos propriam creaverit divinitatem.

*Sarcon* pestem variolosam in calidissima Aethiopiae parte enatam suspicatus est; *Bond* Aegypti indigenam istam autumat.

Optime eruditissimus *Reiske* variolarum antiquitatem illustravit, ex cujus disquisitionibus patet, per Aethiopes, Arabiam subigere tentantes, huic terrae variolarum contagium fuisse adlatum, idque eodem anno qui Mahomedem nascentem salutavit, ergo 572 post Ch. n., aut ut nonnulli volunt 558.

*Aaron* Arabiae medicus anno 622. primus de variolis auctor evasit, cujus tamen opera temporis injuria

perierunt. Sub finem vero saeculi IX. *Rhazes* seu *Arrasi* exactissime variolas descripsit, primusque fuit cui variolarum notitiam debemus.

Nec minoris difficultatis negotium tempus et locum eruere, quibus primum et Asia in Europam translatae fuerint variolae. Probabilis tamen nec veritati historicae aliena videtur opinio, pestem illam per Arabes, qui saeculo VIII. felici duce *Al-Invalid* Hispaniae meridionalis maximam partem occupavere, huic terrae illatam inde per reliquam Europam pededentim disseminatam fuisse. Arabs medicus *Avicenna* saeculo X. variolis summam adtentionem navavit. Ad majorem vero contagii variolosi per Europam diffusionem, quae adversus Christianae doctrinae hostes ad expugnandas sic dictas terras sanctas, saeculis XI., XII. et XIII. gesta sunt bella, plurimum contulisse videntur. Ad saeculi XI. finem *Constantinus Africanus* Salerni florens, primus *Variolarum* nominis usum introduxit, quae eousque Arabico nomine *Dschadari* insignabantur. Saeculo XIII. in Anglia jam morbus vulgaris fuere variolae. Imperatore Maximiliano I. regnante lues variolosa anno 1495. militibus e Belgia per Gallicas provincias redeuntibus Germaniae illata fuisse fertur. Ab illo tempore foedissimus ille morbus in omnibus fere Europae terris per vices epidemice grassatus, nulli sexui, nulli aetati parcens, nefandas edidit strages, ut variolarum nomen quemcumque timore percusserit. Aestimata mortalitas per variolas inducta, illam pestis, testante celebr. *Tissot*, multum superavit; Europa sola quotannis 450,000 hominum variolis peremptorum numeravit.

Nec Europae cancellis coarctatus est ille morbus popularis, imo trans mare iterum migravit, et communis est opinio Americae incolis hunc morbum per Europaeos communicatum fuisse anno 1495. Anno 1718. Batavi variolas Promontorio bonae spei et Dani

1773. Groenlandiae tradiderunt; quae ex Russia in Siberiam migraverunt. Haec variolarum disseminatio adeo vasta evasit, ut vix unam alteramve in terrarum orbe regionem invenias, quam variolosa pestis non invaserit. Eae solum terrae immunes mansere, quae mari cinctae naves advenas variolosis aegris refertas, vi arcere potuerant, quod Cayennae et insulae St. Helenae contigisse scimus.

In tali calamitate publica non solum morbo diro correpti nullo non tempore auxilium, sed et detestabile labe adhuc immunes, imminentis mortis vel deformitatis timore commoti, a medicis prophylactica petiere medicamina. In quem finem a variis vario tempore, sibi et mercurii diversimodo praeparata, blanda et iterata purgatio, emeticorum usus, venaesectio, cortex peruvianus, aqua picis, acida mineralia dulcificata, gummi ferulacea, moschus et comphora multaque alia, commendata ac frustra tentata fuerunt. Aliud praesidii genus in funiculi umbilicalis retardata, donec circulatio inter infantem et placentam penitus cessaverit, discissione quaesitum est, pariter inutile et vanum.

Quum vero quodcumque contra variolas prolatum remedium prophylacticum invalidum repertum esset, jamque ex longaeva experientia observatio firma stetisset, variolas non nisi per infectionem propagari, spes exorta est, luem variolosam extinguendi, si modo contigerit, contagii disseminationi obicem opponere. Quem in finem in pluribus regnis strenuissima variolantium a sanis separatio ordinata est, propriaque pro variolis infectis nosodochra (Blatterhäuser) extracta fuere. Morbi autem per omnem jam terrarum orbem propagatio, atque multifarium, quo populi invicem nectuntur, commercium, illi variolas coercendi conamini majora, eaque vix superanda, opposuere impedimenta, quam ut hac ratione quidquam effici potuisset.

Rebus ita constitutis cum hostem infestissimum

debellare non potuissent mortales, ad conditiones cum eo descendere atque per insitionem variolarum benignarum, illius manibus ultro sua tradiderunt corpora. Observationi nempe organismum, qui semel variolas feliciter devicerit, ab illis non amplius infectum iri, per longum tempus comprobatae innixi, homines morbum, secus periculosissimum, consulto per contagium variolosum benignae indolis, faventibus temporis reliquisque conditionibus, sanis insitum provocare et sic illius saevitiam et periculum mitigare tentabant, nec frustra.

Methodus haec quam tutoriam credebant, multis retro saeculis populis Sinae et Indiae, iis Georgiae nec non Graeciae nota atque Bizantii sub finem saeculi XVII. et initium XVIII. consuetissima, opera et studio *Wortley Montague*, conjugis Anglici in aula Turcica tunc temporis legati, anno 1721. Anglis et per illos generi humano universo communicata est.

Illam variolas inoculandi methodum, quamvis generi humano plurima praestitisset, multa tamen defideranda reliquit; quum nec celeberrimi hujus remedii defensores negare potuissent, insitas etiam variolas saepe cum periculo esse conjunctas, venustatem formae quandoque deturpare et tantum abesse ut contagium penitus exstinguatur, ut potius illius semen foveatur, quod, quamvis benignum, facile tamen conditionibus infaustis, in pristinam iterum malitiam degenerare posset. Hinc omnium in votis fuit, reperiri aliquando remedium, quo haec pestis ex hominum consortio possit profligari.

Quod ardentissime expectatum, dedit humano generi vir coelitus missus, patriae suae decus *Eduardus Jennerus* 1), qui remedium unicum tutum,

---

1) Natus Berkley in Angliae Comitatu Gloucester anno 1749.

sat mite contra luem variolosam, in *variola vaccina* invenit.

Dudum quidem ante *Jennerum* nota fuit rusticis in Angliae comitatu Gloucester et in Hostatia, nec non in Germania, vaccarum dari morbum (anglice Cow-pox) vaccinam dictum, mammas horum animalium sub pustularum forma adgredientem, manus et brachia illa mulgentium invadentem iisque immunitatem contra exantheima variolosum conciliantem. Popularis tamen haec observatio, a *Suttonio* et *Faustero* confirmata ac societati medicae anno 1768. communicata, probabilitatis nota quasi destituta, usque ad annum 1795., quo cel. *Adams* illius per transennam meminit, derelicta jacuisse videtur, donec immortalis *Jennerus* virtutem vaccinae inhaerentem, quam tentaminibus privatis, ab anno 1776. institutis, detexerat ac anno 1788. peculiaris medicorum societatis examini submiserat, anno tandem 1798. extra omne dubium positam publici juris faceret.

Vaccina vix detecta lis exorta est num spontaneum vaccarum, certe non unius regionis, morbum sistat, an pro degenerata variola humana haberi aut opinantibus *Jenner* et *Loy* a morbo equorum (*αγριστοι* Maucke) derivari debeat; quam componere arduum est. Hoc tamen constat, morbum equorum de quo agitur directe hominibus insertum genuinam excitare vaccinam, quod et de cutanea pecorum affectione contenditur.

Vaccina ab Anglia citissime Galliam adtigit, ubi, irritis tentaminibus adversariorum, tum regiminis tum nationis suffragia obtinuit. In Germania vaccina primum Vindobonam et Hanoveranam mense Maji 1799. pervenit ibique opera de *Carro*, *Ferro*, *Bremser*, *Portenschlag* sen.; hic

*Ballhorn et Strohmayer* inclaruit. Brevi reliquae Germaniae innotuit.

Ut autem vaccinae beneficium expectatos ferat fructus, sub ejus promotione sedulo adtendendum, ut fomes nonnisi a legitima pustula vaccinica desumatur; atque inserta proprios illos ac pathognomicos characteres manifestet, qui a practicis adsignatur viris, secus non solum incassum instituitur vaccinatio, verum etiam inventi valor insigniter patitur. Maxime igitur optandum erat, ut ubique locorum Regiminis supremi ac Magistratum interventu et providentia, haec vaccinationis praxis lege sanciat ac ceu objectum Hygienes publicae, nonnisi in hac re versatis confidatur medicis. Id quod brevi in plerisque imperiis, prae aliis vero in Austriaco est factum, quo quidem Excellentissimi Praesidis et Archiatri *L. B. de Stifft* indefessa cura ac insignis res secundas promovendi fervor plurimum sane contribuit.

### Variolarum decursus regularis.

In tanto exercitu morborum, qui in systematibus nosologicis collati in hominum perniciem conjurasse videntur, vix ullum reperies, cujus per tempus decursus strictiori stadiorum, et symptomatum, quibus singulum eminet, ordini adstrictus fuerit, quam variolae verae regulares. Nihilominus antiquiores scriptores medici: *Thom. Sydenhamus, Huxhamus, Heberden* etc., quamvis variolas adcuratissimo calamo descripserint et adtento observaverint animo, quaenam metamorphoses singulis aegrotationis diebus accidere soleant, morbi variolosi stadia non distinxerunt. Recentiores vero, longaevae antecessorum et propriae experientiae innixi, quatuor variolarum ut plurimum assumere amant stadia; quorum terminos primariae, oeconomiae animali per morbum specificum illatae, mutationes sistunt.

Sic *Rosenstein* 1), *S. G. Vogel* 2), *A. G. Richter* 3), *J. P. Frank* 4), ab *Hildenbrand* 5) et *Raimann* 6) aliique quatuor assignant variolis stadia, quae a variis auctoribus variis decorantur nominibus.

I. Stadium febrile seu st. ebullitionis (*Hildenbrand*), eruptionis, invasionis (*P. Frank*), irritationis (*Richter*), infectionis (*Berends*) 7), separationis, effervescentiae, fermentationis, germinationis, apparatus exanthematis, status contagii, incubationis.

II. Stadium eruptionis seu inflammationis.

- 1) Des Herrn *Nils Rosen von Rosenstein* Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten, aus dem Schwedischen übersetzt mit Anmerkungen von *J. And. Murray*. Wien 1793.
- 2) *Samuel Gottlieb Vogels* Handbuch der practischen Arzneywissenschaft zum Gebrauch für angehende Aerzte. Dritte Ausgabe. Dritter Theil. Stendal 1820.
- 3) Die specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren des verstorbenen *D. Aug. Gottl. Richter*, herausgegeben von *Georg Aug. Richter*; neueste Auflage. Wien 1829. 2. Band.
- 4) De curandis hominum morbis epitome praelectionibus academicis dicata, auctore *Joan. Petro Frank*. Manhemii 1792. Liber III.
- 5) *Valentini nobilis ab Hildenbrand* institutiones practico-medicae, edidit filius *Franciscus nobilis ab Hildenbrand*. Viennae Austriae. 1825. Tom. IV.
- 6) Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie von *Joh. Nep. Edlen von Raimann*. Dritte Auflage. Wien. 1826. 2. Band.
- 7) Handbuch der practischen Arzneywissenschaft oder der speciellen Pathologie und Therapie, nach den Vorlesungen des Herrn Dr. *A. Berends* bearbeitet und mit Ergänzungen und Supplementen herausgegeben von Dr. *Harl Sundelin*. Berlin. 1828. 4. Band,

III. Stadium florescentiae, seu maturationis vel suppurationis.

IV. Stadium exsiccationis s. desquamationis, exarescentiae, (Berends) prolapsus, declinationis.

Max. Stoll 1) variolis sex tribuit stadia nempe: 1. Stadium contagii, 2. st. febrile, 3. st. eruptionis, 4 st. maturationis, 5. st. suppurationis, 6. st. exsiccationis. Quum vero celeberrimi hujus auctoris stadium contagii complectatur temporis spatium a suscepto viro ad initium usque febris, quod nos periodum delitescantiae seu opportunitatis vocamus, quodque secundum pathologiae generalis principia non ad morbi stadia referendum, quumque porro maturationis et suppurationis stadium natura separatum non existat, quum variola nonnisi pustula rite suppurante maturitatem adtigerit, recentiores jure merito quatuor solummodo stadia assumerunt.

## I. Stadium ebullitionis.

Stadio huic, ebullitionis medicis nuncupato, aliud temporis spatium, indeterminatae durationis, praecedens, concepto contagio incipit primisque febris ingruentis symptomatibus terminatur, atque variis, nec iisdem in diversis hominibus, laesae valetudinis signis stipatur, quin morbus determinatus assignari possit. Hoc temporis spatium sex septemve nychthemeris comprehenditur 2), hinc inde ultra septimanam extensum 3). *Hufeland* illud ad quatuordecim dies extendit, *Heim*

1) Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. Edidit *Maximilianus Stoll*. Editio secunda. Vindobonae. 1827.

2) *M. Stoll*. aph. DXIX.

3) *Vogel* op. cit. p. 27.



vero ad novem restringit. Quamvis negandum non sit, virus variolosum per longius tempus in humano corpore latescere posse, minime tamen illam *Stunzeri* observationem genuinam habendam censeo, qui casum tradere non haesitavit, in quo per dimidium annum materia variolosa in corpore haesit, statu valetudinario producto 1).

Quod induciarum duramen et cum contagii efficacia et cum, individui pro illo receptivitate in inversa ratione versari, mihi quidem videtur, quam opinionem etiam *Richter* 2) in opere suo offert.

In illo, a contagii susceptione ad febris exordium, intervallo hinc inde plane nulla signa morbosa sese produnt observatori. Frequentius tamen delassatio et delatio spontanea, morositas, temulentia, cephalaea, somni desiderium, appetitus prostratus et sitis augmentum morbi ingruentis suspicionem movent. Quibus modo symptomatibus interdum accedunt: facies tumidula, dolor ac rigiditas oculorum cum leviori photophobia et lacrymarum secretionem adaucta, quae *Rosensteinio* 3) observante in sinistro plerumque oculo exsuperat, faciei color pallidus cum rubro repente alternans. halitus oris foetor, narium pruritus cum frequentiori sternutatione, quam epistaxis in nonnullis excipit, vocis rauco cum tussicula, tumor tonsillarum glandularumque maxillarum, quo deglutitio impeditur, lingua tenui muco albicante obducta, pectoris oppressio, sensus molestus in regione epigastrica ad tactum non admittens, vomitiones et non raro ipse vomitus, dolor obtusus in regione cervicis atque lumborum,

1) *Stunzer* über die Pocken u. s. w. Wien. 1784. 26.

2) *Richter* op. cit. p. 218.

3) Op. cit. p. 158.

urinae pallidae cum sedimento albicante, in sudorem pronitas atque peculiaris transpirationis cutaneae, praecipue sub axillis, odor. Dormientes non raro dentibus strident perterritique expergefiunt. Infantes agiliores reddi atque convulsionibus sat saepe corripri observantur; helminthiasi affectis vermes secedere adfirmant auctores 1).

Quae quidem symptomatum sat numerosa cohors, quamvis toties primum constituat agmen, vix tamen certam ad certam variolarum sequelam conclusionem admittit. Multa enim eorum et omni morbo febrili, plura et aliis praecedunt exanthematibus, porro nec omnia in omnibus reperiuntur variolantibus et plurima diversissimo fonte scaturire possunt.

Quin tamen omnis ipsis deneganda fides, eoque major habenda, quo plura simul adparent, nec alia sufficiens prostat causa; magni vero semper aestimanda, ubi morbo varioloso grassante, individuum, in quo adparent nec variolas perpeffum nec vaccina munitum, quocumque modo infectionis periculo expositum fuit.

Haecce minus constantia morbi subsequi praeludia excipiunt horripilationes in frigus intensum incrementes, capite simul vehementer dolente et anxietate aegrum vexante. Frigus, quod per plures interdum horas extenditur, calori cedit ingenti, constanti, sicco cum siti urente ac faucium ariditate, splendent oculi illacrymati, intumescit facies, nares sanquinem libenter plorant, artus obtuse dolent itemque scrobiculus cordis ac lumborum regio, foetor oris ac transpirationis cutancae adauctae peculiaris persentitur. Pulsus plerumque acceleratus et fortis. Vespera ingruente fe-

---

1) *Vogel* op. cit. p. 26.

bris exacerbationem celebrare amat, qua omnia symptomata multum increbrescunt. Quae febris in adultis vehementior ac in junioribus, in his frequentius somnolentia, in illis pervigilium, insomnia terrifica et deliria observari licet.

Hocce febrile stadium morbo rite decurrente per tres dies extenditur. Febris vero, characterem ipsius quod adinet, activa subinflammatoria dicenda erit, cum characterem laterali catarrhoso.

## II. Stadium eruptionis.

Tertio die ad finem vergente aut quarto inchoante, si a primo febris exordio calculus ducitur, plerumque praegresso sudore exantheina proserpere molitur, febris, antea vehementis, symptomatibus quidquam mitigatis. Inspergitur cutis maculis parvis, rotundis, discretis vel aggregatis, vix elevatis, quorum primae labium superius, nasi alas et dein reliquam faciem, subsequae collum et pectus ceterasque tandem corporis plagas occupant, abdominis integumento, vola manus pedisque planta saepissime liberis; quin ulla cutis externae vel membranae mucosae plaga a variolis sat tuta praedicanda sit; adparent non raro in capillitio, obsident gingivam et linguam, obruunt fauces, descendunt per tracheam ad pulmones atque per pharyngem intestina irrepunt, et, scleroticae vel corneae conjunctivam occupantes, non parvas oculo insidias struunt.

Symptomata anginosa, quae si prius non adfuerint, nunc caput extollunt et dysphagia magna, rauco vel ipsa aponia largiorque salivae secretio aegrum magnopere molestant, quae omnia vel inflammationi membranae mucosae sympathicae, vel variolis illas partes obsidentibus debentur.

Maculae vix descriptae elapsis jam aliquot horis in medio punctula quidquam pallidiora cum parva in

apice excavatione exhibent, quae ad tactu duriuscula, nodulum milii magnitudinis sub cute haerentem abscondere videntur, eoque ab aliis exanthematibus praecipue morbillis dignosci traduntur 1). Brevi temporis spatio interposito punctula illa, circulis laete rubris (halonibus) cincta, facilius distinguenda, pededentim in nodulos mox increscentes elevantur et vesiculas referunt ad apicem lymphae liquida pallidaque repletas, perstante tamen parva foveola ac halone simul magis extenso.

Sicuti angina ita faciei palpebrarumque tumor perdurat, imo in diem augetur, ut lineamentis vultus cuilibet peculiaribus penitus fere deletis, typus aegris imprimatur variolantibus proprius, quo unum ab altero vix dignosceres, palpebrarum rima non raro perfecte clausa miseri luce privantur.

Metamorphosim illam maculae eodem subeunt ordine, quo ipsae prodierint. Qua autem ratione exanthema super cutem eruperit, eadem febris variolosae vehementia decrescit, ut finito post triduum illo negotio, seu sexto a primo impetu die, fere penitus delitescat, eoque secundi stadii symptomatum agmen claudat.

### III. Stadium maturationis.

Intra sextum et septimum morbi diem tertia variolarum epocha, florescentia dicta, novo plurimum insultu febrili inchoat, quem horripilationes, anxietas et inquietudo magna cum respiratione difficili, calor intensus cum siti ardente et vehemens cephalaea cum pulsu accelerato, pleno ac forte manifestare consuescunt. Cujus stadii signum summe characteristicum est

---

1) *Jos. Frank*, Praxeos medicinae universae praecepta. Lipsiae. 1825. Vol. II. p. 282.

peculiaris metamorphosis, quam singulae vesiculae modo subeunt, eamque eodem, quo adpauerint, ordine. Vesicularum lympham diaphanam repletarum foveolae disparent, illaeque elevatae acuminantur, basi simul dilatata, et formam induunt pisorum dimidiatorum cuti adhaerentium. Pari tempore latex, quem continent, lymphaticus semidiaphanus in apice primum turbatur, lactescit et demum flavum acquirit colorem, donec omni humore in verum pus mutato, vesiculae totidem abscessulos seu pustulas representent. Pustulae ad basim usque pure repletae annulo circumdantur inflammato, purpureo roseo, quo colore et variolarum interstitia tincta erysipelatose intumescunt et cum dolore tenduntur. Partium haec vicinarum inflammatio pustulis pure repletis mitigatur, minuitur halonum rubor, considet quidquam cutis tumor, remittit dolor tensivus, quibuscum pari passu febris vehementia decrescit. *Febris* huic stadio nunquam deficiens *suppuratoria* dicitur.

Illud pyogeniae negotium trium quoque dierum spatio, variolis rite decurrentibus, absolvitur. Quo tempore anginae symptomata perstant, saliva largius fluit, urinae mittuntur turbidae, sedimentum largum puriforme deponentes, alvo simul laxiori; cutis transpiratio odorem spargit peculiarem, nauseosum, mucidum subdulcem, qui solus ad variolas detegendas sufficeret.

#### IV. Stadium exsiccationis.

Nono aut decimo post primam eruptionem die, interdum undecimo, pustulae, quae primae ad maturationis culmen pervenere, in apice macula fusca notari incipiunt, dehiscentes tandem laticem plorant purulentum, qui aëre atmosphaerico in escharam flavam, fuscam aut nigricantem mutatur, durante sub illa per

aliquot tempus puris secretione. Pustularum in crustas transitus eodem, quo pure repletæ fuerint, absolvitur ordinè, hinc primum in facie incrustantur, dum in extremitatibus læte adhuc floreat variolæ. Quæ morbi formæ mutatio novis insignitur turbis febrilibus. Hæc febris a nonnullis auctoribus, uti *Richtero* 1) et *Rosensteinio* 2) *febris secundaria* vel *febris secunda variolarum* vocatur, et originem vel cutis functioni turbatæ vel puris resorptioni debere videtur; quæ vero febris sæpenumero illam stadii prægressi tam cito excipit, ut nullo inter utramque termino observando, difficile ambæ distiguantur. Crustæ pustulis singulis procreatæ puris fonte arescente serius ocius secedunt. Febris silet, restituitur omnium functionum vitalium concentus, se- et excretiones ad normam redeunt, vires infractæ restaurantur et convalescentia læta, posthumis nullis relictis, perpessa oblivioni tradit. Convalescentia quamvis rite procedente tamen loco variolarum maculæ remanent cupreo-rubrae, elatæ prurientes; quæ per plures sæpe menses perstantes, ac aestuante præprimis corpore magis saturatæ, faciei colorem variegatum conciliant; tandem expallescent nec amplius formositati insidiantur. Ast non cuilibet variolarum vestigia tam facile delentur, quum sæpe sæpius, ipsis remotis escharis, variolæ cicatrices relinquant, in morbi variolosi perenne monumentum.

Notæ cicatricis a variola vera relictæ sunt: fundus cuti concolor, inaequalis, semper concavus, duobus aut tribus punctis nigricantibus notatus, hinc inde pilis, in partibus pilosis, obsessus; margo cuti concolor plus minus crenatus et angulatus nunquam

---

1) Op. cit. p. 227.

2) Op. cit. p. 161.

orbicularis; si tenditur cicatrix nec fundus nec margo explanatur penitus, imo lineae subtiles per illam ductae videntur; singularum profunditas inaequalis, quae tempore saepe decrescit; plagae, quas prae ceteris obsidere amant, sunt facies manusque.

### Variolarum anomaliae.

Variolae a supra descripto decursu multiplici ratione deviare amant, indeque majorem minoremve malignitatis gradum nactae, in genere *variolae anomaliae* seu *irregulares* dicuntur. Ut tamen, quo variolarum anomalias perlustremus, quidam teneatur ordo, momenta, quibus illius morbi deviae innituntur, enumerare praestabit. Hoc respectu variolarum diversitas dependet:

- A. a febris caractere;
- B. ab ipso exanthemate;
- C. a complicatione cum aliis morbis.

#### A. Variolarum respectu febris anomaliae.

Febris, quae variolas veras easque benignas comitatur, *character generalis est inflammatorius*, quem sagacissimus *Th. Sydenhamus* jam pro tali habuit, *lateralis catarrhoso-exanthematicus*. Qui febris character inflammatorius, praecipue primis tribus morbi stadiis conspicuus, monente *Richtero* 1) quarto stadio in *putrido-gastricum* inclinatur. Haec febris, quam *Sydenhamus* variolarum sororem adpellat, eum in modum a recto tramite aberrare potest, ut vel a) ad altioris insolitaeque potentiam evehatur, vel b) gastricae, c) nervosae, aut d) septicae induat faciem; unde pro diverso febris caractere variolae, *inflammatoriae, gastricae, nervosae ac septicae* nominantur.

1) Op. cit. p. 228.

Causae diversi febris variolosae characteris vel subjecti constitutioni ac diversae in febres dispositioni, vel genio regnanti epidemico, peculiari ac singulis annis vario debentur. Id quod *Sydenhamus* monuit, dicens: »Notandum enim est, non tantum febriam quandam propriam et peculiarem cuilibet peculiari constitutioni competere, sed peculiare etiam variolarum genus, quae hanc quidem speciem referunt, durante hac annorum serie, aliam vero annis sequentibus, quantumlibet inter se convenire videantur quoad oerta phaenomena omnibus communia. Ita ludit natura in morborum epidemicorum generatione« 1)!

a) *Variolae inflammatoriae.*

In subjectis robustis, plethoricis, gravidis atque puerperis, favente genio regnante epidemico, praecipue brumali tempore, febris variolosa ex natura sua alioquin inflammatoria, ad summam hinc inde intenditur potentiam, ut non raro ex accedente visceris alicujus nobilioris inflammatione vita periclitetur. Ad quam variolarum anomaliam depingendam non melioribus utar coloribus, quam celeberr. *Joan. Huxhami* verbis ita sonantibus: »Primo enim, quando varioloso contagio homines fibris tensis, fortibus et sanguine uberiori, denso praediti, adficiuntur, vehemens plerumque febris accedit inflammatoria, interdum pulmones, interdum cerebrum, nonnunquam fauces et aliae partes insigniter inflammantur et sanguis si detrahatur crassus et inflammatus est, atque interdum repetitis vicibus detrahendus, nisi aegrum phrenitide violenter occidi aut peripneumonica inflammatione jugulari velimus. Pulsus est rapidus, plenus, tensus; respiratio calida, brevis

---

1) *Thom. Sydenhami opera universa medica, curavit Gottl. Kuhn. Lipsiae 1827. p. 107.*



et laboriosa; aestus acrior et urina colore profundiore tincta; sitis ingens, lingua arida et impura, capitis, dorsi et lumborum crurumque dolor acutissimus“ 1). Quibus classicis verbis nil amplius addendum haberem, nisi quod exanthema praecocius plerumque, nec raro secundo jam febris die, ac sat larga quantitate erumpat, quamvis non desint rariora efflorescentiae ultra consuetum tempus retardatae exempla, quodque facta eruptione febris vehementia non mitigetur. Singulae variolae diametri majoris, magnopere tensae et dolentes halone circumdantur saturatius rubro. Suppuratio aegrius procedit, feбри, quae hanc comitatur, semper vehementiori.

Praeterea bene notandum, variolas inflammatorias et ante perfectam eruptionem et durante suppuratione, metastases ad organa nobiliora praediligere, per quas, nec non per vires exhaustas, caractere inflammatorio in nervosum aut putridum converso, admodum periculosas imo lethales evadere posse 2).

### b) *Variolae gastricae.*

Variolis gastricis febris sociata omnia febris gastricae symptomata prae se fert. Hinc aegri jam in morbi exordio nausea, vomituritione et ipso vomitu vel diarrhoea vexantur, adest anxietas praecordialis, sapor fatuus et lingua muco albicante vel flavescens obducta. Quae symptomata tamen sub morbi initio adparentia nondum ad variolas gastricas declarandas sufficiunt, quod tantum licebit, si solito magis eminent, si jam ante febrim variolosam adfuere ipsasque variolas

---

1) *Joan. Huxhami opera*; curavit *Albert Frider. Haenel*. Lipsiae 1829. p. 437.

2) *Joh. Nep. Edler von Raimann op. cit.* 2. Th. p. 109.

constanter comitantur. Leviores enim notae gastricae, sub variolarum eruptione earumque exsiccatione, vix unquam deficere solent; variolas praeterea excretionibus alvinis, quae fovendae, saepissime decidi *Sydenhamus* et *Stollius* aflatim monuere. Decursus vero exanthematis in variolis gastricis plerumque irregularis, ipsaeque variolae suppurationis stadio facile confluent, foedas relinquentes cicatrices. Periculum vero aegris minantur, quod characterem facile in nervosum et saepius adhuc, imprimis qui ab initio gastrico - biliosus fuerit, in putridum mutare ament. Debentur variolae gastricae erroribus diaeteticis, faventque ipsis tempus aestivum atque genius epidemicus gastrico - biliosus.

### c) *Variolae nervosae.*

Variolae nervosae dicuntur, quarum febris comes nervosum habet characterem, qui aut ab initio caput extulit aut ex inflammatorio vel gastrico evolutus est; utroque in casu symptomatibus et decursu febris nervosae solemnibus stipatur. Aegri animus est demissus, pulsus debilis, celer et tremulus, os pallidum et languescens, urina cruda et tenuis, hinc inde hypostatica, nulla sitis ingens, nullus aestus major, continua capitis vertigo et gravitas, ast dolor per universam vertebrarum columnam extensus ac ad lumbos quasi defixus, artuum tremor, comatosa affectio vel deliria ferocia, nausea perpetua et vomendi conatus; universalis inquietudo, languor debilitasque; apud infantes epileptica frequentius repetita convulsio.

Symptomata haec ubi variolas praecedunt vix non semper pejorem aliquam earum speciem pallidas, crudas, depressas et sessiles praenunciare solent. Quarum eruptio inordinata sequentibus patet: acceleratur nempe vel retardatur efflorescentia, variolae per tutum corpus simul vel in extremitatibus praecocius quam in

facie erumpunt, vel in facie imprimis conglomerantur et confluunt, quum in aliis locis discretæ adpareant. Neque plenam assequuntur maturitatem, depressæ enim et flaccidæ, halone roseo destitutæ, remanent; vel in magnas aquosas confluunt bullas, tenui et crudo repletas ichore, ad ipsum usque finem eandem servantes formam; interdum imo quæ pallidissimam et mortuo simillimam faciem occupabant, nigra et coherente crusta obteguntur, dummodo aegrotò, in continuo vitæ periculo versanti, tam diu manserit vita.

Rebus sic se habentibus tantum abest, ut ipsa variolarum eruptione facta febris cum symptomatibus nervosis mitigetur, ut potius exacerbetur. Febris quoque ingruente suppuratione incensa gravissima esse solet, perstantibus, quæ statum adynamicum enunciant, signis.

Hic cum celeberr. *ab Hildenbrand* notandum habeo: Ubi symptomata feralia in morbi adparent exordio neque suspicionem de vera debilitate movebunt, a statu congestionis in encephalo nervorumque irritatione potius derivanda, casus in infantibus haud infrequens. Hujus modi vero turbæ sub morbi decursu subortæ ad veram omnino debilitatem concludere sinunt 1).

#### d) *Variolæ putridæ.*

Variolæ putridæ ab auctoribus una cum nervosis, malignæ nuncupatæ, dicendæ sunt, quibus febris sociatur adynamico-putrida, in quam vel ab initio inflammatoria vel quod frequentius accidit nervosa transit. Ante variolarum eruptionem jam aestus nimius et mordax, epistaxis larga, diarrhœa, sudor viscidus et foe-

---


1) Op. cit. Tom. IV. p. 242.

tens statum colliqualivum praesagiunt. Eruptio et decursus exanthematis ab ordine consueto recedunt, ut plurimum accelerantur. Variolae ut plurimum numerosae, in facie confertissimae, inter quas maculae caeruleo-rubescens et vibices dispersae adparent, crura imprimis obsidentes. Ipsis variolis minus elevatis, foveola in apice non explanatur, sed macula cinereo-caerulescente notatur, quinto jam morbi die distinguenda; phaenomenon vix non semper ferale. Halo in benignis amoene roseus, in putridis lividus, fuscus imo et nigricans. Ejus modi variolae puris genuini loco lymphae sanguine remixta, vel sanguine nigro et resoluta, frequentius ichore acri tenui ac cinereo replentur. His intermixtae bullae saepe succurrunt majores discretae vel in racemos aggregatae, quae nullum includentes liquorem aëre tantum mephitico expanduntur. Prae reliquis putridae confluere amant, unde in magnas extenduntur vesicas, quae, aut sponte aut scalpendo ruptae, contenta non sine foedissimo odore plorant. Evacuata tali vesica epidermis laxa et plicosa ulcus putridum obtegit, quod, epidermide, per saniem continuo larga copia secretam, a partibus, quibus leviter adhaesit, remota et abluta, denudatum foedo oculis spectaculo se offert. Simile in discretis quoque obtingit.

Pari passu cum increscente virium exhaustionem excretiones colliqualivae augentur; accedit larga salivatio, qua saliva spissa, glutinosa vix exspurcanda secernitur, magna sanguinis resoluti copia per nares, gingivam ac pulmones, per vaginam et anum evacuat, nec desunt exempla, ubi per vias urinales viam sibi legerit; alvusque invito aegro ruit diarrhoica summe foetens.

Quo in variolis benignis ingruit exsiccatio, tempore, putridis qui mulctatus est aeger in summo versatur periculo. Crusta crassa, fusca aut nigricans, sub

qua ulcera rodentia et gangraenosa foedam saniem stillare pergunt, totam obtegit faciem reliquasque partes, ut humanam formam vix amplius dignosceres. Vires modo ad inum prostratae jacent, miser tacite delirat aut obstupefactus, trunco ad pedes declinante decumbit; respiratio difficilis stertorosa, alvus et urina inscio aegro fluunt, pulsus inordinati, summe debiles, vacui, filiformes vix distinguendi, foetor cadaveroso peior atmosphaeram, quae lectum circumdat, venenatam reddit, donec mors miserens, undecimo quamplurimum die, ultimam vitae deplorandae scintillam exstinguat.

Paucis orci faucibus evadere quibus contigerit, malis torquentur posthumis, : cachexiis variis, exulcerationibus viscerum, ossium carie, tabe lenta, et sic porro loquendo, quibus plerique tandem succumbunt aegri.

## B. Variolae anomalae respectu exanthematis.

Praeter anomalias, quas variolis diversus febris character imprimit, multiplici adhuc ipsa efflorescentia cutanea gaudet diversitate, a numero pustularum desumpta earumque situ, a figura, a liquore contento et colore atque eruptionis ordine. Quae tamen aberrationes, nequaquam proprias variolarum species sistentes, solummodo febris characteri diverso et constitutioni individuali, contagium subigenti, originem debent.

1) *Numerum* variolarum quod adinet, ille ad modum inconstans nec definiendus. Anomalae tamen hoc respectu variolae et *parcae* dicendae, ubi paucae in singulis cutis plagis erumpunt, feбри comitante nihilominus vehemente; vel si ex adverso ingens pustularum tribus per totum progerminat corporis ambitum.

2) *Quoad situm* habemus a) *discretus*: pustulae,

quamvis larga earum sit messis; singulae tamen invicem distant, ut singula suo gaudeat halone; variolarum decursui regulari ut plurimum conveniunt.

b) His oppositae veniunt *confluentes*; confluunt autem variolae copiosae et aggregatae suppurationis tempore, ut vix dignosceres singulas pustulas, quae in bullam majorem coivere, id quod vel in plaga magis circumscripta, lubentissime in facie, vel in tota corporis superficie accidit; pari plerumquae incedunt passu cum febris caractere in adynamicum praecipue putridum mutato.

c) Inter utrasque *cohaerentes* seu *corymbosae* auctore *Ant. de Haen* 1) medium constituunt, quarum quippe papulae non confluunt, denso tamen agmine corpus adeo occupant et ita propinquae sibi invicem sunt, ut pluribus in locis racematim cohaereant, febris harum cohaerentium peior quam discretarum melior vero quam confluentium existit.

d) Hic *mixtas* adhuc adfert *Max. Stoll*, quarum significatio per se jam patet 2).

3) A *figura* denominatas habemus:

a) *Magnas* seu *bullosas* quae nucem avellanam magnitudine saepe superant et *pravas* seu *miliures* acicularum capitulis non absimiles 3).

b) *Depressas* seu *umbilicosas* 4) seu *vesiculosas* 5), maturationis et suppurationis perfectae gradum

1) *Antonii de Haen*, theses sistentes febrium divisiones, natamque ea de causa de miliaribus, petechiis ceterisque febrilibus exanthematibus dissertationem. Vindobonae. 1760.

2) Aphor. DLXIII.

3) *Ab Hildenbrand*, op. cit. IV. Tom. p. 246.

4) *Richter* op. cit. p. 222.

5) *Petr. Frank* op. cit. 171.

nunquam adtingunt, sed pallidae et depressae in medio umbilici in modum fovea instructae; nervosa aut putrida stipatae feбри.

c) His oppositae sunt *acuminatae* 1):

d) *verrucosae* sunt durae, compactae et verrucis similes, quae liquorem non continentes cum vicinis confluere nunquam possunt, licet plerumque malignae indolis et feбри nervosae junctae;

4) *a liquore contento* et, qui inde pendet *colore*; praeter purulentas, coloris flavi, quae pure genuino varioloso replentur, signo characteristico variolae regularis, habemus;

a) *lymphaticas, serosas* seu *chrySTALLINAS* et *ichorosas* prouti lymphae, sero aut ichore infarctae sint pustulae, ipsarum color frequentissime cinereus aut plumbeus;

b) *sanguineas, s. haematodes s. scorbuticas*, quae serum cruentum, aut sanguinem merum, resolutum lividum vel atrum vehunt, eundemque colorem ostendunt;

c) *emphysematosas s. siliquosas*, quae, resorpto potius liquore contento, vacuae fere deteguntur, ac nisi putri halitu inflantur et colorem habent squalidae epidermidis; adhaeret istis uti praegressis plerumque character putridus.

5) *Ratione eruptionis* variolae a recto tramite aberrant, ubi illa vel nimis *praeceps* et *tumultuaria* vel nimis *tarda* procedit.

Aliam vero, quae huc spectat, anomalam *variolae messis secundae*, ut dicuntur, sistunt. Accidit nempe quamvis rarissime, ut exanthematis cursu regulari vix absoluto denuo adpareant pustulae prioribus

---

1) *Stoll* Aphor. DLXIII.

non absimiles. Tradidit nobis *Chr. Weber* 1) historiam lactantis puellae, in qua decimo octavo morbi die variolis prioribus exsiccatis et nova quasi accedente febris aliae iterum adparuerint variolae. Tales *Huxhamus* 2) quoque saepius observavit.

Aliud anomaliae genus offert status exanthematis, praesente febris reliquisque variolis secus propriis symptomatibus, non prorumpentis, quique veritati magis quam logicae congruo nomine, *febris variolosa sine variolosis dicitur*, quamque *Sydenhamus* 3), *van Swieten* 4), *Vogel* 5), *P. Frank* 6), *Richter* 7), aliique recentiores defendunt. Saepe enim effecta per insitionem infectione aut contagionis occasione praegressa, imprimis variolosa epidemia regnante, aliquot diebus post febris exorta videbatur prodromis et decursu variolosae simillima. Halitus oris cutisque transpiratio odorem edidere variolosum accedente saepius, ut in variolis, salivatione. Ad finem tertii diei largus intravit sudor odorem spargens variolosum, urinae missae sunt turbidae cum copioso sedimento, moxque pristina reversa sanitas, quin adparuerint variolae expectatae. In infante, qui dicta symptomata ostendit, repetitis vicibus infectioni exposito et ipso contagio varioloso insito, nulla variolarum eruptio observabatur.

---

1) *Christophori Weber* observationum medicarum fasciculus primus. Cellis 1764.

2) *Huxh.* op. cit. p. 530.

3) Op. cit. p. 135.

4) *Gerardi L. B. van Swieten* Commentaria in *Hermannii Boerhaave* aphorismos. Venetiis. 1772. Tom. V. p. 226.

5) Op. cit. p. 70.

6) Op. cit. p. 161.

7) Op. cit. p. 219.



Hucusque enumeratae varietates nequaquam species contagii variolosi sed solummodo ejusdem modificationes sistunt. Alia vero eaque summi momenti differentia ex ipsius exanthematis natura procedit et inde divisio in variolas *veras* et *spurias*.

*Variolae verae* nomen meretur exanthema, quod supra descriptum decursum et symptomatum ordinem observans originem contagio varioloso debuit atque contagio ejusdem naturae procreando par est.

*Variolae spuriae* contra exanthema referunt pustulosum, ac inde veris quoad formam morbi externam similes indole vero diversae sunt, quae variolis veris affines quidem, veram illarum progeniem hybridam sistunt, quae itidem contagium evolvunt, quod variolas quidem spurias, nunquam veras producere valet.

Variolarum spuriarum duplex distinguitur species:

A. *Varicellae*, s. Pemphigus varioloides (*P. Frank*), Variolae nothae, illegitimae, pusillae, Pseudo-variolae, Aeolion (*Plouquet*), Eruptio hydrosyntriperiodica (*Segui*), Italis vocatae: *Ravaglione, Morbiglione, Vajuolo selvatico*; Gallis: *La petite vérole volante, la verolette*; Anglis: *the Chicken pox* s. *Swin pox*; Germanis: *Falsche Pocken, Hühnerpocken*; Exanthema variolis veris germanum, in exordio febrile, pustulosum aut vesiculare, quod ab illis tamen irregulari eruptione et decursu, majori benignitate, ast minori corpus immune reddendi futuramque recidivam arcendi efficacia distinguitur.

B. *Varioloides vaccinatorum* seu vaccinae, variolae per vaccinam modificatae, mitigatae, hybridae; *Pocken nach der Kuhpockenimpfung*; exanthema sistunt per constantem influxum vaccinae insitae in decursu suo a variola genuina nec non varicella declinans, et illa potentia amica vigente omni periculo, saltem in

stadiis, in quibus variola explicata enormes illas strages edere solet, destituitur.

Utriusque variolarum hybridarum speciei fusior expositio arctos hujus opusculi cancellos longe transgrederetur. Quum tamen quamplurimum intersit variolas veras ab hybridis bene distinguere, ut omnis evitetur diagnoseos error, qui hoc in casu minus quidem therapiae rationali, quam rei publicae saluti obsesset, quo enim commisso ex una parte necessariae et legibus definitae contra morbum manifeste contagiosum caute lae negligenterentur, ex altera vero vaccinationis prophylactica potestas dubia evaderet, variolarum et verae et hybridae stirpis signa characteristica earumque differentias, quantum permittant vires, enumerare, utque oppositae clarius innolescant, juxta se ponere, mihi concessum puto 1).

Variolae verae.	Varicellae.	Variolae modificatae.
Odor specificus, mucidus subdulcis nauseosus.	Odor specificus aliis verbis non describendus	Deficit odor specificus.
Eruptioni per tres dies febris valida praecedit.	Altera jam febris die exanthema prorumpit et interdum sine praegressa febre.	Eruptioni per tres dies praecedere solet febris mitior.
Eruptio in facie incipit, procedit gra-	Eruptio certo temporis spatio non ad-	Prorumpit exanthema ad faciem vel ma-

1) Vide: *Heim* über Diagnostik der falschen Pocken etc. in *Homs Archiv* von 1809. B. 7. H. 2.

*Richter* op. cit. 271.

*Ab Hildenbrand* op. cit. T. IV. p. 283.

*Nob. a Raimann* op. cit. 2. B. p. 124 et p. 112.

*Jos. Frank* op. cit. p. 328.

*Dr. Carl Gust. Schmalz* Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik in Tabellen. Dresden u. Leipzig. 1825.

*Carolus Rokitansky* Dissertatio inauguralis medica de varioloide vaccinica. Viennae 1828. p. 32.

datim per reliquum corpus, et tertia die absoluta est.	stricta, vel intra nyctemerum absoluta, vel per plures extenditur dies.	nus tuncque truncum et tandem in extremitatibus inferioribus.
Eruptione peracta facies magis adhuc intumescit.	Primo vel in pectore et dorso postea in facie, denique in extremitatibus comparent, vel unico impetu undique erumpunt.	
Sub eruptione non pruriunt papillae, ast pruritus magnus sub exsiccatione.	Facies sub eruptione tantum inflatur, qua facta subsidet.	
Circumdantur peripheria vivido rubente.	Pruritus papillarum magnus.	
Vesiculae foveola in apice instruuntur.	Peripheria profundius rubra.	
Omnes papulae in pustulas mutantur et ut in facie ita in extremitatibus replentur pure genuino laete flavescente.	Vesiculae carent foveola in apice.	Gaudent vesiculae foveola in apice.
Febris suppuratoria nunquam deest, utpote paucis variolis.	Plures papulae in pustulas non abeunt, sed parvae atque durae manent; quae replentur humorem continent magis aquosum limpidum vel lactescentem.	Magnus papularum numerus non mutatur in pustulas, et paucae suppurantes replentur pure spisso, viscido coloris viride-flavi.
Pustula perfecta duriuscula et elastica.	Febris suppuratoria et si multae multoque repletae adsint pustulae semper desideratur.	Nonnunquam observatur febris suppuratoria.
Facile rumpuntur pusque contentum cum impetu eliminatur.	Pustulae molliores sine elasticitate.	Pustulae evolutae subdurae et elasticae
Semel evacuata pustula iterum repletur	Sponte vix unquam dehiscunt et per punctae laticem aegre tantum lenteque dimittunt.	
Pustula bene efformata figuram habet ovalem accuminatam cum cute introrsum versus angulum acutum faciens.	Evacuatae non amplius replentur pustulae.	Figura globosa aut conica.
	Figura haemisphaerica cum cute angulum fere rectum faciens.	

Nulla ante nonum diem exsiccatio obvenit, quae per plures extenditur dies.

Crustae crassae, duriusculae, ovaes.

Maculae cupreo-rubrae crustis delapsis per menses in cute remanent.

Fundus cicatricis cuti concolor, scaber corticum citri more corrugatus, duobus aut tribus punctis nigricantibus notatus, eoque pluribus quo major ipsa cicatrix.

In piliosis corporis plagis in ipsis cicatricibus pili progerminant.

Margo cutis concolor inaequaliter crenatus, angulosus.

Quamvis fortiter distracta cicatrice nec margo nec fundus levigantur, sed subtilibus lineis pertexta videtur basis.

Numerus plerumque magnus et maximus in facie ac manibus.

Jam quinto sive septimo die exsiccantur.

Crustae tenuiores et rotundae.

Maculae rubrae minus pertinaces citius evanescent.

Basis magis candida quam reliqui corporis cutis, ad tactu simul glabra, ovi gallinarii testae adinstar, nullibi impressiones aut stigmata.

Pilorum regenerationi obstant cicatrices.

Margo rotundatus cuti concolor, medium versus sensim deprimitur ut fundus ad speciem convexus adpareat.

In hominibus pro vectioris aetatis diu post superatum morbum margo et etiam fundus quidquam rugescunt, tali vero cicatrice in longum distracta, rugae disparent.

Numero paucae ab servantur raro plures quam viginti in facie praesertim circa frontem et nasum.

Exsiccatio ocyus plerumque ingreditur ejusque opus citissime, 24 et saepe jam 12 horis absolvitur.

Crustarum duriuscularum loco squamis teguntur tenacibus, bruneis, quae vix inflammatis ast duris, multum elevatis conis detruncatis similibus nodis cutaneis insident pertinaciter.

Maculae aut foveolae planae quas relinquunt citissime evanescent.

Cicatrices rarae et levissimae.

### C. Anomaliae variolarum a complicationibus cum aliis morbis.

Maximum est variolarum cum aliis morbis consortium, quibus ipsarum et decursus et symptomata diversimode a prototypo, cum minori vel majori aegri discrimine, recedunt. Variolae cum ut plurimum infantes puerosque infestare ament, mirum nequaquam videbitur, morbos quibus aetas illa succumbere solet, frequentissimos esse earum comites, illasque saepenumero cum evolutionibus physiologicis, uti dentitione et ingruente pubertate, eodem incidere tempore. Hoc respectu variolae saepissime superveniunt helminthiasi, scrofulis, tussi ferinae; nec minus frequentia sunt variolarum connubia cum aliis cutis deformitatibus, uti scabie, herpete, tinea capitis, crusta lactea, nec desunt exempla exanthematis variolosi cum miliaribus, pemphigo, strophulo, furunculis ac petechiis copulae.

An vero variolae cum morbillis et scarlatina simul adesse possint, adhuc sub iudice lis est, quam decidere non est tironis opus.

*Joh. Bergius* 1), *Ettmüller, de Haen, Brillouet* 2), *Dimerboeck* morbillos una cum variolis

1) *Petr. Joh. Bergius* in orphanotropheo Holmiae variolas insitione excitavit puero uni puellis sex aetatis 5—8 annorum, forte vero simul morbilli eosdem infantes adgressi sunt. An ille septies falsus? Kongl Veters Kapo Academiens Handlinger; i. e. acta academiae regiae scientiarum Sueciae ann. 1766. Vol. XXVII.

2) *Brillouet* de variolis insitis summe confluentibus cum morbillis complicatis observationem fecit sequentem. Die duodecimo, post insitionem, variolae post mala symptomata, decimo tertio vero morbilli tunc grassantes post pessima symptomata adparuere. Tribus exactis vero diebus cutis a morbillis jam liberata fuit. Postea demum

exitisse adfirmant. *J. P. Frank* 1) dicens: „quin ab exanthematicarum aliarumque aegritudinum imperio non parum a simplicitate sua deflectere cogantur variolae,“ variolas cum morbillis et scarlatina convenire non dubitasse videtur, secus exceptionem hic adnotare debuisset. Clarius sententiam suam effatus est *Jos. Frank* 2): „Tandem variolas citra exanthemata symptomata cum aliis tum acutis tum chronicis complicari posse haud ignorandum est. Loquimur de morbillis cum variolis nunc simul, vel retardando vel haud immutando harum curriculum, florentibus nunc invicem alterutrum corporis latus occupantibus, mox nunc sibi proxime succedentibus. Idem de scarlatina valet.“ Atque in nota adfert *Dessessarz*, quem plura scarlatinae cum variolis incedentis exempla in nosocomio Vindobonensi conspexisse, dicit 3). *Celeberr. nob. a Raimann*

---

adparuere variolae copiosissime confluentes. Putrida febre suppuratoria acidis mineralibus etc. debellata omnia optime successerunt. *Journal de med. chirurg. pharm.* etc. Tom. LX.

1) Op. cit. pag. 179.

2) Op. cit. pag. 285.

3) Mihi ipsi sub auspiciis Domini Primarii Doctoris *Ratter*, viri humanitate et scientia insignis, cui in arte medica multum multaque in acceptis me referre aequae lubenter ac grate profiteor, in nosocomio universali Vindobonensi medici secundarii vices agentis, occasio data fuit observandi casum, ubi variolis scarlatina nupta videbatur.

Adlatus in nosocomium die 11. Martii 1832. puer decem annos natus, non vaccinatus, constitutionis debilis et habitus corporis scrofulosi, de cujus praegressa valetudine nil patuit, nisi quod taeniae frustulae hinc inde secesserint ipseque omni fere mense convulsionibus vexatus fuerit. Tali insultu in platea correptus nosocomio traditus, ibi symptomata febris inflammatoriae

complicationem variolarum cum supra nominatis exanthematibus nequaquam negat, dicit enim: „ex multi-

---

catarrhosae praebuit, quae et altera die cum eminente sanguinis versus caput congestione perstitit. Ad vesperam 3. diei in facie primum, dein brachiis manibusque exanthema prorupit. *Die 4.* aegro in cubile variolantibus destinatum translato sequentia invenimus symptomata: Cephalaeam vehementem, oculos suffusos et illacrymatos, faciem inflatam et rubicundam, linguam aridam, fissam et tremulam, fauces dolentes deglutionem difficilem, sitim magnam, cutim siccam et calidam, pulsum acceleratum, parvum et contractum. In facie, pectore brachiisque videndae erant vesiculae non adeo multae multumque invicem distantes, quae supra cutem elevatae, ad apicem impressae et orbe rubente cinctae, laticem gerebant albicantem.

*Die 5.* Caput minus dolens ast vertiginosum, lingua humidior, deglutitio faciliior, cutis calor moderate auctus, variolae pro tempore bene evolutae et in trunco pedibusque admodum parcae; febris mitior ac die praegressa.

*Die 6.* febris admodum moderata fuit, lingua humida, deglutitio penitus libera, cutis calor gratus ejusque color, exceptis segregatis et bene formatis variolis, omni respectu normalis.

*Die 7.* mane febris vehementior, variolae in facie pure repleti incipiebant. Vesperi ejusdem diei vehementissima intravit febris exacerbatio, cephalaea dirissima, facies multum inflata et rubra, fauces magnopere dolentes et tumentes, deglutitio multum impedita, lingua arida, sitis ingens, cutis admodum sicca cum calore mordaci, atque per totius corporis ambitum colore rubro pumiceo tincta, digitorum ad tactu maculas relinquens albas, mox iterum rubescentes.

*Die 8.* cephalaea vehemens et vertiginosa perstat, lingua arida et fissa, fauces dolentes, deglutitio impedita, cutis color ut die praegressa, pulsus multum acceleratus, plenus et mollis; variolae suppurantes.

*Die 9.* De nocte intravere deliria; mane vertigo ma-

fariis variolae verae complicationibus, illa cum morbillis, quam *Tarcy* et *Russel* cum retardata supuratione viderunt, et illa cum scarlatina, qua decursus inordinatus morbusque periculosus evasit, memoratu dignae et rara naturae phaenomena censendae sunt 1). Ejusdem quoque opinionis *S. G. Vogel* 2) invenimus.

Celeberrimo vero prof. *ab Hildenbrand* 3) quae de hac complicatione notata inveniuntur dubia et ambigua videntur, dum quod pathologica obstet lex, qua sancitum est: duos processus contagiosos acutos una decurrere in eodem individuo non posse, tum quod omni fide dignae observationes docuerint, morbillos non nisi variolarum cursu absoluto abortos fuisse, quamvis infectio primis jam successerit diebus.

Quae a sagacissimo hoc pathologo ad stabiliendam suam opinionem adferuntur momenta, graviora sunt, quam ut enervari hucusque possint; lex enim supra adlata, ut omnis alia, quam naturae legem nuncupare placet, observationi et experientiae innixa, tam diu stabit, donec castae observationes et genuina experientia contrarium docuerint, nam quod hucdum non est visum, in futurum poterit observari, indeque firmari sententia: exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Saepe variolis, eruptionis ut plurimum tempore

---

gna cum susurru aurium, deglutitio penitus impedita, respiratio stertorosa, conscientia abolita. Cutis fuit sicca, calida, perstante per totum corpus colore rubro; ast variolae pure ante repletas collapsae erant et pulsus frequentissimi, parvi et summe debiles. Circa meridiem puer animam expiravit.

1) Op. cit. p. 113.

2) Op. cit. p. 66.

3) Op. cit. T. IV. p. 246.



inflammatio visceris alicujus nobilioris sociata est, et inter reliquas, phrenitis et pneumonia frequentiores, ut symptomaticam taceam anginam variolosam.

Nec raro affectiones catarrhosae et rheumaticae, imprimis conjunctivae et palpebralis et scleroticae, variolis junguntur.

Nec cachexiis variis uti chlorosi, syphilidi et scorbuto, non in parvum aegri periculum, variolas supervenisse, deficiunt exempla.

Nec a morbo, qui anno elapso et in nostra urbe epidemicam edidit stragem, variolae, ut nonnulli suspicati sunt, mortales defendere valent; ipse observavi casum, ubi variolis pulcherrime florentibus cholera superveniens, aegri vitam citissime exstinxit 1).

- 
- 1) Juvenis 20 annos natus, non vaccinatus die 24. Augusti 1832. cum veris variolis in nosocomio susceptus est, quarum evolutio rite procedebat. Octavo ab eruptione die, variolis modica quantitate supra corpus dispersis, bene formatis et rite suppurantibus nec ullibi confluentibus, aeger post meridiem sine nota causa correptus est vomitu, quo, rejecto primum vix consumto jusculo, magna copia materiae aquosae limpidae evacuata fuit, cui innatabant flocci albi, albumini coagulato similes, facies repente fuit alienata, lingua humida et pura, pulsus collapsus, parvus et debilis. Porrectum est aegro infus. Ipecac. ex drach. un. ad col. unc. sex; nuchae, abdomini surisque adplicatis simul sinapismis. Perstitit vomitus copiosus ipsique accessit diarrhoea ejusdem indolis. Secunda a primo vomitu hora facies summopere alienata vix amplius cognoscenda, oculi profunde in orbitam retracti annulisque profundis ac lividis cincti, conjunctivitate quidquam rubescente; lingua humida et glaciei adinstar frigida, vox abolita et surditas perfecta. Variolae quae vix ante pulcherrime florebant, penitus erant collapsae et, omni contento pure evanito, ne minimum supra cutem eminebant, nilque ab ipsis superfluum, quam levis et corrugata pellicula orbe squa-

## Morbi substratum.

Sedem variolarum primariam sistit totius corporis cutis externa, ita ut partes, quarum cuticula tenuior, faciem, libentius, quarum crassior, volam manuum pedumque plantam, varius obsideant.

Quale vero stratum systematis cutanei proprium variolis substratum praebeat, discrepant adhuc auctores, quum alii cum: *Astruc, Cotuni, van Geus*, rete *Malpighii*, alii cum *Bichat* et *Cruikshank*, rete vasorum capillarium, corrii substantiam et corpus *Malpighii* corpus intercedentium, variolarum sedem declarent.

Aliam quae huc spectant, inter medicos exortam quaestionem: an variolae et internas corporis plagas occupare possint, eo certe decidere fas erit, quod quam late membranarum mucosarum extenditur dominium eousque variolis viae pateant. Id quod confirmant observationes a *Dimsdal* 1), *de Haen, van Swieten* 2), *Cotunio, a Raimann* 3) et ab *Hildenbrand* 4) factae. Omni autem fide carere videntur, quae a nonnullis scriptoribus adferuntur de variolarum sede in organis et superficiebus stricte internis, quem-

lido et cupreo-rubro cincta, qui lacte rubentem prius sistebat halonem, reliqua cute caerulescente atque marmoris adinstar frigida; pulsus plane disparuit, sinapismi etsi iteratim adplicati nequaquam egerunt. Aeger quinta jam ab insultu cholerico hora diem supremum abiit.

Alius, qui exsiccatis jam variolis cholera correptus fuit et hanc feliciter devicit.

1) *Vogel* op. cit. p. 68.

2) *Op. cit.* p. 50.

3) *Op. cit.* p. 104.

4) *Op. cit.* T. IV. p. 248.

admodum in musculis, nervis, cerebro, hepate et pleura.

An variolae membranae mucosae unam alteramve plagam infestent, quin simul in cute externa adpareant, deficiunt mihi observationes, quamvis hoc fieri posse ulique suspicarer. An fors, si jam contingat, hoc phaenomenon sic dictae febris variolosae sine variolis, causam sistat, quis est, qui non cogitet? Quas tenebras olim anatomiam pathologicam dissipaturam speramus.

### Aetiologia et Nosogenia.

Ad variolosum morbum, sicuti quemlibet alium, contrahendum certa dispositio et causa procatartica requiruntur, quarum una deficiente, nunquam prodibunt variolae. Et quod rationalis pathologiae generalis principia postulant, experientia quoque confirmat. Nequaquam enim omnes variolas nondum perpassi, si contagio exponuntur, ab illis infestantur, imo integras reperimus familias, quarum membra, variolis undique saevientibus, intacta remanserint.

Ceterum occupant omnem aetatem sexumque, maxime autem pueros. Nemo certe hunc morbum non expertus nec vaccinatus blandiri sibi poterit, quod ad ultimum vitae terminum a variolis immunis mansurus sit, ne illi quidem, qui saepius contagio varioloso absque ulla noxa, expositi fuerunt.

Et non tantum ab ipsa nativitate ad seram usque in ultimo senio mortem morbus ille metuendus est, imo latentem adhuc in utero materno foetum adgreditur quandoque et ante diem humanas calamitates ferre cogit; id quod plura neonatorum pustulis variolosis vel cicatricibus inde productis obsessorum docuerunt exempla. In nonnullis casibus mater paulo ante variolis labo-

ravit 1) et de contagio per matrem fructui communi-  
cato nullum dubium erit. Observatio tamen singularis

- 1) Brevi abhinc tempore Viennae similis accidit casus, cujus, a Domino Medico Primario *M. D. Ratter* benigne mihi communicatam, historiam amicus *M. Dr. Engel*, nosocomii universalis Viennensis medicus secundarius ac muneris quondam sodalis concinnavit. Die 6. Decembris 1832 in tictodochio Viennensi mater vari-cellis laborans, sexta ab eruptione die, pustulis jam exsiccatis puerum enixa est, in quo jam sub partu in manibus cruribusque segregati, ad tempora vero ad-gregati conspiciebantur noduli, vesiculam in medio geren-tes ac orbe rubro cincti. Duodecim post partum horis puero una cum matre in divisione nosocomii universa-lis variolis destinata, suscepto, noduli illi pustulas, flavescentes, in medio foveolis instructas, a milii grani ad lentis magnitudinem referebant; infans ceteroquin bene valuit, mammis admotus cupide suxit, quieteque dormitavit. Pustulae ad 9. Dec. usque, una cum halo-nibus, magis simul rubentibus, extensione auctae ac pure flavo repletas, die 10. Dec. elasticas sistebant hemis-phaeras, quae perpunctae, copioso pure cum impetu ejecto, iterum replebantur. Hocce et proxime subse-quis diebus infans inquietior evasit. Die 13. Dec. pustulae quidquam complanari et 13. ab apice exsiccari inci-piebant. Exsiccatione rite progressa die 18. rotundas, bruneas sat crassas ac convexas crustas, cute reliqua normaliter tincta, sese repraesentabant. Infans materque utique bene valentes, hac nimis urgente 20. Dec. e nosocomio dimittebantur.

Alia nec memoratu indigniora hujus rei exempla e plu-ribus aliis collegi.

Foemina gravida variolis graviter decubuit, morbo-que debellato gemellos peperit, quorum alter mortuus pustulas variolosas habuit, alter vivus prodiit in lucem postque tres dies obiit.

Journ. de Med. Chir. etc. par *Vandermonde*.  
Tom. X. Paris 1759.

variolarum florescentiam in neonato vix unquam collimasse cum analogo variolae maternae stadio sed tardius semper irruisse, ut et infra adlata docent exempla, ingeniosum *ab Hildenbrand* ad opinionem

---

Mulier aethiops ultimo graviditatis tempore variolis laboravit, decimo quarto die puellam enitebatur, manifesta vestigia ejusdem morbi gerentem. Variolarum in hac infante propemodum ea facies erat, qualem si benignus est morbus octavo vel nono die deprehendimus. Tertio post partum die puella moriebatur. *Guil. Wright* in Philos. transact. of the royal society of London. Vol. LXXI. par. II. for the year 1781.

*Joh. And. Murray* infantis cum variolis nati mentionem fecit, cujus mater circa finem graviditatis cum alioi liberorum suorum, variolis laborante versata sit. Ejus historia insitionis variolarum in Suetia. Goettingae 1767.

*Jos. van Iperen* uxorem suam filium sanum sed per totum corporis superficiem rubicundum peperisse refert. Maculae hinc inde ut in variolis cum eminentiis conspiciantur ut foetus jam in utero iis laborasse videtur. Matrem sex vel septem ante partum hebdomadis cum liberis duobus, variolis benignis laborantibus, continuo adesset magnam spirandi difficultatem sine aliis signis sensisse docet, qua tamen medicamentis liberata esset. Hinc collegit foetum circiter quatuor septimanis ante partum variolis adfectum fuisse. In commentariis societatis scientiarum Harlemensae. Tom. X. p. II. Harlem. 1768

*Farcon* narrat, foeminam, quae altero jam aetatis anno variolis laboraverit, filiam partu edidisse, pustulis suppurantibus obrutam, quae vero mortuo post dimidiam horam infante subsidebant. Matre per totam graviditatem nec variolosos vidit, nec cogitationem eo direxit, licet tunc morbus ipse grassaretur. Duodecim ultimis diebus aegritudinem, quam exprimere non valebat, nec ulterius curabat, senserat. Jour. de Med. Chir. Pharm. etc. par *M. A. Roax*. ann. 1774.

duxit: originem variolae foetus non ex massa humorum, quos varioloso fomite inquinatos esse volunt, sed potius a secretionem virus ad finem morbi contingente atque contagiosa atmosphaera per uteri superficiem manente foetumque ambiente et inquinante repetendam esse. Quod argumentum confirmant matrum exempla quae variolis optime florentibus proles mundissimas ediderunt. In aliis contra casibus foetuum variolantium, in matre variolae praegressae plane nulla vestigia habebantur, et tamen non nisi per matrem fomes virulentus embryoni inferri potuit 1). Mirandum sane phaenomenon supra laudatus auctor eo explicare adnititur, quod mater favente immunitate morbum non contraxerit sed passivi tantum conductoris contagii vices egerit; alii vero medici matrem morbum variolosum absque exanthemate foras conspicuo perpessam esse existimant.

Qua in re autem ad variolas dispositio vel nonnullorum erga illas immunitas consistat, eruere, nemini huc usque concessum. Id solummodo longaeva experientia compertum habemus, variolas rarissime bis eundem invadere hominem, similemque cum vero morbo varioloso exantlato, vaccinationem praebere immunitatem. Quae de variolis bis invadentibus referuntur historiae, si fides ipsis habenda, critico semper lustrandae sunt oculo, cum plerumque aut prima aut secunda infectio ad variolas spurias vel mere topicas sit referenda.

---

Foemina quae puerperii calamitates saepius feliciter erat passa neque unquam variolis laboraverat, edidit aliquando partum mortuum quidem, veris tamen variolis obsessum. Post octo annos autem ipsa variolis confluentibus est adsecta. *Dr. Fried. Christ. Stöllers* Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äussern Heilkunst. Gotha 1777. p. 145.

1) Op. cit. V. IV. p. 251. cl. 150.

Omissis, quae de variolarum causa procatartica extrusae sunt, hypothesibus mere inanibus 1), causam variolas excitantem habemus: *proprium ac specificum contagium, cujus princeps conductor est latex purulentus e pustulis manans variolosis aut consulto eductus.*

Hocce pus est humor albo flavescens, saporis subdulcis, odoris peculiaris, nec verbis significandi; aqua bulliente, alcohole et acidis mineralibus coagulum format, succos plantarum caeruleos non mutat, ipsique ut omni puri, globuli innatant.

Sanguis, saliva ac reliqui succi inquinini carent potentia contagiosa.

Pus autem memoratum tantummodo conductor contagii nequaquam cum hoc ipso confundendum, quod principium volatile, naribus forte exceptis, sensus fugiens, ultra physicos materie limites extensum, aerem aegros circumdantem, contaminat.

Modus, quo *infectio variolosa* contingere solet, triplex est; 1. *per contactum immediatum* puris variolosi cum cute externa vel membrana mucosa, eoque facilius, si partes laesae aut tenuiore pellicula obiectae sunt; 2. *mediante contactu*, per res fomite virulento inquinatas, uti per vestes, stragula, suppellectilia, quibus variolosi usi fuere. Huc quoque variae variolas inserendi methodi spectant; 3. *per atmosphaeram aegrorum* pestifero et specificè olente halitu pollutam, contra quam multo difficilius sese defendere ac a contactu sibi cavere possunt mortales, unde variolarum citissima saepe per populum diffusio, optime explicatur.

Viae autem seu *atria*, per quae organismum hu-

---

1) Vide: *ab Hildenbrand*. Tom. IV. p. 252.

manum irrepit contagium variolosum, omnes sistunt corporis partes cum mundo externo mediante aëre atmosphaerico communicantes. Praeprimis vero membranam mucosam quae olfactus organon viasque aëreas investit, contagio suscipiendo favere, jam *van Swieten* est ratus 1). Ventriculus contra, cui contagium variolum inmediate committitur, hoc vi sua digestrice destruit.

Quamvis vero intima contagii natura nullis obnoxia sit vicissitudinibus eundemque semper procreet morbum, tamen per varias genii regnantis epidemici 2) climatis, constitutionis endemicae 3), anni temporum 4) diversitatis, atmosphaerae alienationis atque per alias nobis ignotas rationes eum in modum modificatur, ut variolae diversissimas subeant modificationes, modo summum malignitatis gradum attingant, modo peculiari lenitate decurrant, nunc sporadice tantum propagentur nunc epidemice per populos grassentur, certisque annorum periodis in nonnullis regionibus adstrictae videantur 5).

Per quot temporis spatium virus variolosum contagii principium efficax retinere valeat, hucdum non constat, tantumque compertum habemus, aërem purum, acida et alcalia illud cito destruere.

### Terminationes.

Morbus variolosus aut sanitati cedit, aut morte terminatur, aut varia relinquit posthuma mala.

1) *Op. cit.* Tom. VII. p. 32.

2) *Th. Sydenham.* *op. cit.* p. 107.

3) *Ab Hildenbrand.* T. IV. p.

4) *Boerhaav.* Aphor. 1380.

5) *V. Swieten* *op. cit.* Tom. VII. p. 4. et *Vogel* *op. cit.* 3. Th. p. 8.



Variolae regulares, in individuis ceteroquin bene constitutis, decursu supra descripto absoluto, redeunti sanitati non amplius obsunt, atque exceptis cicatricibus nulla relinquunt vestigia.

Morte terminantur aut modo *directo* aut *indirecto*. Illo, si aegri ipso morbo varioloso succubunt idque vel 1) ex parte febris, characteris putridi vel nervosi, vel 2) ex eruptione impedita, quam vulgo exanthematis retrocessum dicunt, vel 3) ob visceris nobilioris, cerebri ut plurimum et pulmonum inflammationem, vel 4) per metastasin ad organa summae dignitatis.

Modo vero *indirecto*, per posthuma necant. Variolae enim anomalae, imprimis nervosae ac putridae, si vitae pepercerint, tamen clandestine santinati insidias struere tentant per mala posthuma, quin et regulares interdum non minus subdolae inveniantur.

Subsequi morbi vel *universales* vel *locales*. Ad priores febris depascens, hydrops atque scorbutus numerandi, qui ultimi aestate elapsa saepenumero variolas excipere solebant; semel et febrim intermittentem variolas vix exsiccatas sequutam observavi.

Ad mala angustioribus circumscripta limitibus pertinent: furunculi, ulcera cutis chronica, profunde rodentia, ossium caries, spina ventosa, coxarthrocace, anchyloses, chronicae oculorum inflammationes, corneae obscurationes per maculas vel cicatrices, staphylo mata, hydrophthalmus, hypopyum, amaurosis, ulcera sacci lacrymalis fistulosa, abscessus in interiori aure ejusque ossium caries indeque orta surditas, cavitationum nasi concretio vel ejusdem ossium destructio, ac vox per totum vitae curriculum extincta; phthisis pulmonalis, asthma, haemoptoë, hydrothorax.

Saepe tamen et variolae morbum sistunt salutarem. Non inaudita enim ex ipsis, naturalibus adeo, variolis salutis dubiae aut vacillantis; vel et

chronicarum affectionum in meliorem habitum ac in sanitatem florentem, permutatio est 1).

### Prognosis.

Momenta, quae ad prognosin in variolis statuendam contribuunt, considerata veniunt, epidemiae variolosae, subjecti, febris sociatae, exanthematis decursus et formae atque complicationum rationes; sunt certa denique signa, quae prognosim empiricam faciunt.

A. *Prognosis ab epidemia desumenda.* Genius epidemicus regnans summam, nobis hucusque ignotum, in epidemiae variolosae indolem ejusque majorem minoremve malignitatem, vim exercet, quae nec ab anni temporum nec tempestatis rationibus diversis dependere videtur 2). Experientia enim compertum habemus variolas quamvis latissime per populos grassatas regulares et benigniores minorem edidisse stragem, quum alias adeo malignae saevirent, ut paucis modo infectis contingerit orci evadere fauces, quin atrocitatis hujus causa assignari potuerit. Cognita ergo regnantis epidemiae variolosae benigna aut subdola indole, quaenam ceteris paribus, prognosis generalis statui possit, sponte innotescit.

Saevior vero ut plurimum timenda epidemia, si locum infestat diu ab ipsa immunem; mitior contra speranda si in eodem vix grassatae fuerint variolae. *Rosenstein*, *Kinderk.* p. 170. et 171.

In locis uliginosis, udis, palustribus, in nosocomiis et brephotrophiis angustis et male ventilatis pravam induunt indolem. *Ab Hildenbrand.* T. IV. p. 264.

1) *Pet. Frank* op. cit. p. 184. — *Fogel* op. cit. p. 63.

2) *Sydenham* op. cit. p. 203.

Quo citius hyeme incipit eo violentior, quo serius eo mitior erit mali natura. Hinc liquet quo anni tempore periculosior. *Boerhaave*, aphor. 1380. *M. Stoll*, aphor. DXIII.

Benignius incedunt hyeme, aestate libenter malignae evadunt ob facilem characteris biliosi, nervosi aut putridi societatem. *Ab Hildenbrand*. T. IV. p. 264.

Quae populariter grassantur et undique divulgantur variolae plerumque periculi plenae. *Ab Hildenbrand*. T. IV. 264.

Neque melioris notae sunt, si simul alii morbi, uti morbilli, miliaria, dysenteriae, tusses convulsivae etc. epidemice debachantur. *Rosenstein*, *Kinderk.* p. 171. *S. G. Vogel*, *Handbuch d. pract. Arzneiw.* Th. p. 41. *Richter*, *spec. Therap.* 2. B p. 239. *Ab Hildenbrand*. Tom. IV. p. 264.

Incipiente et ad finem vergente epidemia, variolae plerumque mitiores. *Rosenstein* op. cit. p. 170.

B. *Prognosis a subjecto*. Hac parte consideranda veniunt aetas, sexus, corporis habitus et constitutio.

Quo aetas humida plus dissipavit solida magis coegit, eo violentior morbus. Hinc pueris, muliebris, mollibus, laxis facilius, exercitatis, viris, senibus pejor. *Boerhaave*, aphor. 1381.

Foetum qui variolis infestatur, vel ante partum vel paulo post, illis ut plurimum succumbere, docent quae de hac re exstant exempla.

Lactentes pusilli si ad labia, in naso vel et in lingua ac faucibus variolis obsidentur, in maximo versantur periculo. *S. G. Vogel* op. cit. p. 57.

Infantes excepta tenera aetate ac dentitionis periodo, licet sensiliori fibra donati, variolas prae adultis

felicius superaro observantur. *Rosenstein*. p. 170. et 172. *Vogel*. p. 56; *ab Hildenbrand*. T. IV. p. 262.

Optimum pro hoc morbo tolerando vitae stadium videtur esse: quod inter quartum annum absolutum ad pubertatem fere intercedit. *Ger. van Switen*, Commentaria in *Herm. Boerhaave* aphorismos. Venetiis, 1772. Tom. VII. p. 12.

Tempore evolutionum physiologicarum, dentitionis, pubertatis, catameniorum, graviditatis aut puerperii majora plerumque a variolis pericula sunt pertimescenda. *Ab Hildenbrand*. T. IV. p. 262. *Vogel*. p. 58.

Si gravidæ variolis laborant timendus abortus. *Vogel* op. cit. p. 58., cujus rei plura mihi nota exempla, cum infausto morbi exitu.

Senes gravius plectuntur. *Ab Hildenbrand*. *Boerh.* aph. 1381. Saepius tamen emergunt. *Van Swieten* op. cit. p. 13.

Animi passiones deprimentes, consternatio, terror, calamitates publicae, annonae caritas, tumultus bellici morbum reddunt graviolem. *Ab Hildenbrand*. T. IV. p. 264. *Richter*. 2. Th. p. 239.

Onaniae deditis utriusque sexus, ac recens nuptis variolae periculosiores. *Vogel*. 3 Th. p. 61.

Latentes denique in organismo diatheses morbosae, uti rachitica, scrofulosa, syphilitica, verminosa ad peiores non raro variolas, lege interin non ubique constante, conducunt. *Ab Hildenbrand*. Tom. IV. p. 262. *J. Petr. Frank*, de cur. hom. morb. epitome, Manhemii. 1792. lib. III. p. 184.

Quo cutis mollior eo variolae facilius prodeunt, hinc infantes et puellae prae adolescentibus virisque morbum ferunt. *Max. Stoll*, aph. DXXXVI.

Major solidorum imprimis vero cutis laxitas aut densitas, siccitas nimia, debilitas, robur magnum,

plethora, sensibilitas. irritabilitas insolita variolis saepe contraria observatur. *Petr. Frank* op. cit. p. 184.

Dura vero et exercitata corpora, uti et obesi, qui in flore aetatis constituti, lauta diaeta utuntur, imprimis si Bacho indulserint nimis, periculosissime solent hoc morbo decumbere. *Ger. van Swieten* in op. cit. p. 13.

C. *Prognosis a febris ejusque caractere, decursu et symptomatibus.*

Quo magis febris variolarum comes characterem inflammatorium catarrhalem gradus mitioris servat, eo melior spes de prospero morbi exitu. Quo magis vero ab hoc caractere recedit febris ac modificatur, eo magis ambigua evadit salutis spes.

Quo febris variolosa mitior eo eruptio parciore, eo lentius status inflammationis et suppurationis. *M. Stoll*, aph. DXXXVI.

Inter reliquas inflammatoriis ac gastricis, nisi febris evehatur ad majorem potentiam, magis confidendum; malae sunt nervosae, pessimae septicae.

Hinc omnia symptomata quae febrim nervosam et putridam comitantur, remque deplorandam indicant, si in variolis adparent, funestum praesagiunt exitum.

Hic referenda: repentinus virium lapsus absque nota causa, delirium aut sopor, carphologia aut crocidismus, petechiae, haemorrhagiae, diarrhoea effrenis, ardor in visceribus mordax cum siti clamosa. *Ab Hildenbrand* op. cit. Tom. IV. p. 263,

D. *Prognosis ab exanthemate.* Quo magis variolae, eodem, cui adstrictae sunt ordini, erumpunt ac evolvuntur, quo magis evolutae regularium servant typum, eo laetior spes, metusque major ubi accidant contraria.

Quo lentius erumpunt pustulae, quoque proinde

diuturnior status contagii, eo morbus levior *G. v. Swieten* op. cit. p. 77.

Est aliqua durationis stadii (eruptionis) varietas, pro varietate epidemiae, vehementia morbi, temperie aegri, quo brevius ex sua natura eo gravior morbus, gravis quoque si triduum superet. *Max. Stoll*, aph. DXXXIV.

Discretae vel ipso die quarto, inclusive a primo morbi insultu vel postea, ante illum raro ad modum se monstrant. Quantoque magis quartum illum diem prae-verterint variolae, tanto etiam confluent magis. *Th. Sydenham*. Opera ejus universa medica; curante *Gottl. Kuhn*. Lips. 1827.

Quo lentius erumpunt pustulae quove exactius ordinem dictum observant, eo morbus levior. Eruptio confertim, tumultuarie, ordine inconsueto, mala *Max. Stoll*, aph. DXXXVI.

Post omnium vel exquisitissimas observationes rei cardo in hoc vertitur, ut in variolosis salutis spes omnis exanthematum paucitate reponatur; discrimen in eorum multitudine. *Th. Sydenham* op. cit. p. 310. —

Animadvertendum est autem morbum hunc, magnum aestimari non pro variolarum frequentia, qua reliquum corpus, sed pro earum numero tantum, quae faciem obsedere, quae si his tanquam injecta arena ubique contegatur, utut paucae et discretae sint eae, quae in reliquo corpore cernuntur, haud minus periclitatur aeger, quam si membra omnia denso agmine pervaserint. *Th. Sydenham* op. cit. p. 112.

Morbi periculum ex pustularum frequentia et numero in sola facie aestimanda. *Idem*. p. 528.

Quo plures nasi cavitates et fauces obsident, eo pejus. *Rosenstein* op. cit. p. 175.

Quo pauciores, magis separatae, majores, plus

a facie remotae, candidiores et dein flavae magis, pustulae, quoque tardius procedunt eo meliores. *G. v. Swieten* op. cit. p. 77.

Quo pustulae in hoc (suppurationis) stadio grandiores, rotundiores, magis acuminatae, magis ab se invicem distantes, sibi invicem similiores, eo melioris notae. *Max. Stoll*, aph. DXLII.

Quo plures magis intricatae, minores singulae, magis in facie haerentes, fuscae nigraeve, citiusque incedunt, eo pejores. *G. v. Swieten* op. cit. p. 80.

Quo materies pustularum ichorem gangraenosum plus refert eo pejus. *Idem.* p. 80.

Quo plus spatium inter pustulas rubet, calet ac tenditur, tumet circa tempus abscessus, eo melior spes. *Idem.* p. 81.

Quo idem plus pallet vel fuscum evadit eo pejus, angina sequitur lethalis aut pneumonia, nisi salivatio liquida vel ingens tumor manuum pedumve accesserit. *Idem.* p. 81.

E. *Prognosis a complicatione.* Quo simplicior morbus variolosus eo melior.

Quo morbus alter ex natura sua gravior, eo periculum majus.

Quo morbus alter vitae plasticae magis insidiatur, eo status pejor.

F. *Prognostica magis empirica.* Dolor et aegritudo de quibus conqueruntur aegroti in genere bonum sunt symptoma. Id certe pessimum si neque cutis neque pustulae inflammantur et dolent, magnam enim virium vitae inopiam et universalem languorem prodit. *Huxham.* Ejus opera curante *Alb. Fr. Haenel.* Lipsiae, 1829. p. 455.

Nervorum distensiones dum pustulae parant exire, non raro antecedunt mitissimas variolas in pueris et interdum sed rarius in adultis, ideoque non nisi inexpertos

terrent. *Heberden*; ejus opera curante *Lud. Herm. Friedländer*. Lipsiæ 1831. p. 225.

Convulsiones, quibus infantes tempore eruptionis corripiuntur, minus sunt extimescendae, quam quae sub protractiori morbi decursu oriuntur. *Ab Hildenbrand*. T. IV. p. 263.

Praecipue caveri debet ne ex virium prostratione et convulsionibus aliisque symptomatibus nervosis saepe apud puellas, corporis deformitatem timentes, obviis, malignam morbi naturam arguamus. *Jos. Frank*. Praxeos medicinae universae praecepta. Lips. 1825. Vol. II. p. 283.

Fortiora sub incipiente morbo deliria, nisi sub parentibus pustulis dissipata, encephalitis timorem incutiunt. *Petr. Frank* op. cit. p. 186.

Tumor faciei repente desisidens, sic ut oculi adpariri queant, salivae cursus repressus, frequens urinae cupiditas, licet parum excernitur, corpus fere omnis odoris expers et crebri horrores sunt quidem indicia non mediocris periculi, quamvis non semper mortifera. *Heberden* op. cit. 227.

Salivae profluvium copiosissimum, quod in variolis solet obtingere et maxime prodest; in nonnullis finito morbo impune perseveravit plures dies *Idem*. p. 227.

Qui variolis maxime sputant raro moriuntur, nullumque in variolis sputatorem vidi mortuum. *Baglivius*.

Quando manuum tumor non consueto more faciei tumorem excipit, et pedum tumor eum in manibus hoc recte malum putatur symptoma: *Huxham* op. cit. p. 454.

Artuum dolores rheumatici, assidui, graves primum genus variolarum praesagiant. *M. Stoll*, aph. DXXXIV.



Dolorem lumborum acutum semper fere sequuntur periculosae variolae, et quo peior fuerit dolor eo morbus quoque periculosior est. Multo tutior est dolor inter scapulas, tutissimum vero ubi nullus per totum dorsum dolor sentitur. *Heberden* op. cit. p. 225.

Tamen cephalalgia, cardialgia, dorsi et lumborum dolor est etiam in benignis. *M. Stoll*, aph. DXXXIV.

Difficultas spirandi accedens circa quintum pustularum diem, haud multum spei relinquit, hi enim aegri plerumque morbo succubunt. *Heberden* op. cit. p. 226.

Dolor pleuriticus in feбри primaria, malus *M. Stoll*, aph. DXXXIV.

Mala est cardialgia quam eruptio non tollit. *M. Stoll*, aph. DXXXIV.

Vomitus vehementior ab ipsa morbi accessione usque ad exitum pustularum haud quaquam praenuntiat mites variolas; quodsi pustulis omnibus enatis vomitus perseveret, eventus morbi anceps est, quamquam variolae non fuerint confluentes. *Heberden* op. cit. p. 225.

Diarrhoea invasionis sub stadio salutaris, nisi eruptionis tempore cesset, aegrotantes praecipitat. *Petr. Frank*. op. cit. p. 186.

Diarrhoea hoc in stadio (suppurationis) infantibus quemadmodum adultis salivatio, nisi vires illa exhauriat, vel inflammationis aut intestinalis jam gangraenae effectus prorumpat, sub confluentibus imprimis variolis egregie conferre observatur. *Idem*. p. 188.

Micturitio sive perpetuus urinam emittendi conatus sine notabili ejus evacuatione, nisi a vesicatoriis ortum trahat, symptoma pessimum. *Huxham* op. cit. p. 449.

Mictu sanguineo vix aliud symptoma peioris notae atque ominis invenire licet, per omnem hujus morbi tragoediam. *Th. Sydenham* op. cit. p. 117.

Urina cruenta, quae jure numeratur in pessimis variolarum signis, accessit, die quinto ab initio aegrotationis, pustulae interim vix eminuere super reliquam cutem, nisi leviter et paucissimis in locis, in plerisque aliis corporis partibus cutem tantummodo notaverunt maculis purpureis aut vibicibus. Venter his aegrotis reddit cruenta et ipsae lacrymae interdum fuerunt sanguine tinctae. Quo cutis alicubi forte trita sit, sanguis e vulnuscule multos deis exstillavit et aegre cohiberi potuit. Hujusmodi aegri, deplorati omnes quotquot vidi, tertio vel quarto pustularum die decesserunt. *Heberden* op. cit. p. 225.

Sudores apud adultos fortiores ac vix coercendi graviores in illis morbum praenuntiant, ac quo citius salivatio ingruit, quo difficilius creatio ob tenacitatem absolvitur, aut quo citius illa supprimitur, eo major confluentium, ac ceteris paribus, malignarum metus est. *Petr. Frank*. p. 186.

Sudores fortes in omni variolarum stadio malum offerunt symptoma. *Jos. Frank* op. cit. p. 286.

Si in locis inter pustulas liberis maculae purpureae, lethalis gangraena designatur. *Van Swieten* op. cit. p. 82.

Est etiam ubi in hoc morbo maculae purpureae se ostendant pustulis interspersae, mortis fere praenuntia. *Th. Sydenham* op. cit. p. 115.

Saepe macula in mediis pustulis in conspectum veniebat purpurea, quae pededentim dilatata, fiebat nigrior. Sic interstitia quoque interdum pallidum, interdum lividum, induebant colorem; symptoma ominis pessimi. *Huxham* op. cit. p. 530.

Vesicula aqua flava sive sero plenae, quales ab emplastro cantharidis fieri consueverunt, interdum inter pustulas oriuntur et ostendunt morbum a regulataram variolarum aberrare et forsitan periculo vici-

num; hi tamen aegri saepe evadunt. *Heberden* op. cit. p. 227.

Nunquam sane non est signum mortiferum si maculae et haemorrhagiae in vera variolarum eruptione adparent, et aeger raro aut nunquam ad nonum usque diem vitam trahit, cum sanguis sine mora in dissolutionem et putredinem ruat. Rebus ita constitutis e mille aegrotis, si maculae imprimis valde lividae et copiosae sunt, vix unum pristinam recuperare sanitatem persuasum habeo. *Huxham* op. cit. p. 303.

In confluentibus maxime periclitantur aegri et plerique etiam moriuntur die undecimo. *Th. Sydenham* op. cit. p. 115.

In genere octava fere dies in discretis aut non malignis, undecima vero in confluentibus, quae cum nervosa incedunt, vitae prae aliis minantur, et summa ex suppuratoria febre, ex facili ad nobiliora metastasi et ex instante suffocatione pericula agnoscunt, quae interim in malignis (putridis) ad vigesimum usque diem extenduntur. *Petr. Frank* op. cit. p. 188.

Cavendum est interim, ne ex uno modo signo, si cetera non respondeant conclusio ducatur; ac ipsa demum prognosis fundamenta non sine certo ad causas signorum respectu, ponantur oportet. *Petr. Frank* op. cit. p. 182.

## T h e r a p i a.

In morbo varioloso cujus causam, contagium, e materiali tantum noscimus parte, neque, semel receptum removeare possumus, *methodus* medendi *directa* nunquam venit adhibenda. *Methodus* contra quae *indirecta* dicitur, ut reliquis, sic et de quo agitur, exanthemati omni convenit jure. Variolae enim cum sistant morbum dynamicum eumque contagiosum simulque febrilem, solis naturae viribus vincendum, nullis-

que remdiis truncandum, cuique rationali medicinae addicto, facile patet, omnem therapiae rem in eo versari, ut ars virium statum ad amussim moderet, omniaque quae, criticis moliminibus sese opponunt, obstacula prudenter amoveat. Quumque porro comperit habeamus febrim variolarum miasmaticam characterem inflammatorium aut catarrhalem aut inflammatorium - gastricum prae se ferre, illam methodo anti-phlogistica oppugnandam esse, sponte liquet. Ex apparatu vero antiphlogistico ea imprimis seligenda erunt remedia, quae apperiant et linitersimul diaphoretice agunt, respectu semper habito ad singula in singulis stadiis symptomata atque anomalias. Quam primum autem supra dictus character in alium mutari incipit, pari quoque passu therapia eum in modum mutanda ut novae morbi indoli respondeat.

Disserendum ergo primo de cura variolarum regularium, illa, quae anomalis convenit, sequente.

### A. Cura variolarum regularium.

Quae variolis praecedunt signa nimis incerta sunt, quam ut illo jam tempore, quod *opportunitatis* nomine venit, ulla medela concedatur. Nihilominus in antiquioribus medicorum libris, multa praescribuntur remedia prophylactica ac corrigentia seu praeparantia 1), quae benignissimarum sine istis quotidianis certe variolarum exemplis fide spoliantur. Ast nec hoc stadium omni medici adtentione indignum. Est enim certa vi-

---

1) Talia fuisse: Aqua picea, vesicatoria, fonticuli, scarificationes, Calomel, Aethiops mineralis, Cinabarris, Antimonium, Camphora, Moschus in amuletis, pilulae Rosensteinianae (e Mercurio dulci, Camphora et gummi Quaiaco compositae), acidum sulfuricum, spiritus cornu cervi, juniperus etc. etc. Vogel op. cit. p. 77.

vendi ratio, sunt certa artis auxilia, quae cognita aegrotantis ac epidemici morbi natura, futurae febris potentiae opponi, ac infestos variolarum effectus quodammodo infringere valeant, sed varia ac sibi fere contraria haec erunt, pro diversa regnantis genii indole, subsidia, atque ex iisdem, quae aliorum morborum regunt curam, principiis petenda. Hinc sub inflammatorio vigentis epidemiae caractere, a vino aliisque utiliter abstinemus irritantibus, ac plethoricis vegetabilem imperamus dietam; sub gastrico morborum genio, illis, quae saburris generandis favere possunt, valedicimus prudenter; sub nervosa dominantis aegritudinis indole, pathematum deprimentium ac illorum, quae vires exhauriant ac nervis insidiantur, cum successu fugimus actionem; verminosam, de qua constat progeniem eliminare, debilitatem corroborantibus erigere; densiorem cutis texturam balneis relaxare studemus etc. Sed nemo sanior quam sanus esse potest, ac saepe qui ad morbum se praeparat futurum, hic victas huic manus cedit, ac ineptissimus in absentem nec cognitum satis hostem invehitur auxiliis. Ex istis satis patet, nos parum boni multumque interdum mali a quavis ad morbum praeparatione, nisi ob praesentem jam aliam salutis laesionem suscepta, expectare 1).

*Stadium ebullitionis.* Comparantibus primis febris variolosae symptomatibus non statim ad arma clamandum, eoque minus quo febris clementior, neque alium praeter naturam requirit soterem. Hinc interdum a lecto arcendi, aërique libero, frigidiusculo (mensura temperaturae non ad thermometron sed ad gratam aegri sensationem capta) ac sicco committendi sunt aegrotantes, cum debita tamen cautela: ne quid nimis, ac ne

---

1) *P. Frank op. cit. p. 189.*

insueto vel penetrantifrigori, aut sudante corpore gelido vento exponantur; sensuum variorum varia occupatio, potissimum grata; abstinentia a somno diurno longiori nocturno; victusque tenuis bene conducent. Ubi autem vis morbi major aegrotum extra lectum versari non sinit, tum erecto illum corporis situ, capite denudato, stragulisque modice oblectum teneri oportet. Ipsa vero febris remediis refrigerantibus, emollientibus leniterque eccoproticis placanda, cutisque functio diaphoreticis minus stimulantibus sollicitanda erit. Cui scopo respondent: potus tepidulus decocti rad. Althaeae vel hordei, larga quantitate haustus; infusa egelida florum Verbasci aut Sambuci nigrae, addito pauxillo ejusdem baccarum roob; radicis Ipecacuanhae aut Tartari emetici refractae doses, convenientes imprimis ubi sordes gastricae sese manifestent. Alvus clysteribus laxantibus teneatur libra, quam segniorem interno eccoproticorum usu expedire utique licet.

• Magnis praeterea laudibus a summis in arte medendi viris, uti: *Boerhaavio* 1), *Huxhamio* 2), *v. Swieten* 3), *Ant. de Haen* 4), decantantur hocce in stadio balnea universalia tepida, semicupia, pediluvia, ac crurum pedumque per cataplasmata emollientia fofus; cui etiam *P. Frank* 5) ac *Richter* 6) adnuunt.

*Stadium eruptionis.* Prorumpentibus supra cutem papillis, feбри ipsa, si efflorescentia rite procedit, re-

1) Aphor. 1394. et 1399.

2) Op. cit. p. 443.

3) Op. cit. p. 84.

4) *Ant. de Haen* ratio medendi editio altera. Vindobonae 1759. p. 37.

5) Op. cit. p. 200.

6) Op. cit. p. 244. et 247.

mittente, nec gravioribus adparentibus symptomatibus, nulla, quam quae stadio praegresso conveniebant, requiruntur medicamina nec regimem mutandum. Si vero exanthema justo tardius proserpat, nec eleventur bene papillae, cute simul minus tumente, pallescente magis ejusque temperatura vix aucta et pulsu minori ac debiliori, succurrendum est aegro parva dosi acetatis ammoniacae, aut quod melius plerumque conducit, levi aura camphorata, cujus unum alterumque granum, in decocto quodam mucilaginoso subactum, huic scopo saepissime suffecisse vidi. Sin hacce periodo congestiones versus caput exoriantur, ubi aegri de atroci conqueruntur cephalaea, nec raro delirant, oculi multum splendent ac una cum facie intensius rubent, quamvis papulae minus promineant; cutis intense calet, pulsusque frequens, plenus ac subdurus tangitur, ad has turbas componendas, hirudines optimo cum successu retro aures adplicantur, hausto simul potu refrigerante et medicamine nitroso; atque intestinis, quum laxantia non amplius indicentur, enemate diligenter elutis. Anginosa si urgent symptomata majorque oris ariditas et molesta salivatio, cataplasmatibus, gargarismis, et colutoriis emollientibus placantur, rariusque sanguisugos expostulant, quin si inflammatio gravior, contraindicentur. Convulsiones, tendinum subsultus, ni cruditalibus intestinorum vermibusque debeantur, deliria et alia symptomata, eruptionem retardatam, comitantia lenioribus diaphoreticis, camphorae dosibus parvis, sinapismis et vesicantibus plerumque sopiuntur, quin caulae et parvae Opii doses, cujus in tali casu virtutem eximiam antiquiores de variolis scriptores, iique praestantissimi, summis extulerunt laudibus, penitus sint spernandae; quibus eo lubentius locum concedendum puto, ubi signis nervosis accesserit diarrhoea, in hacce periodo ut plurimum insidiosa. Nonnullis,

eruptione per spasticam affectionem retardata, Moschi orientalis praeplacuit usus (*Hufeland, Vogel*).

Multum praeterea interesset, si contingeret invenire certum remedium, quo hocce in stadio copiosior variolarum florescentia a facie ad ignobiliores partes averti coque et formositas et visus tuto servari possent. In hunc finem *Hufeland* et *Hofmann* repetitam faciei et oculorum cum aqua frigida lotionem 1); *Richter* 2) linteolum, camphora prius tritum, faciei superinpositum, proposuerunt; et antiquiores semicupia, pediluvia, ac epispastica popliti vel suris imposita commendarunt. Primordia exanthematis in oculo aqua saturnina eaque multum diluta dispellit.

*Stadium suppurationis.* In periculoso suppurationis stadio summa febris singularumque eam comitantium symptomatum viriumque status attentio habenda est. Variolae parcae eaeque dispersae sine magnis turbis ad maturationem perveniunt, aegerque absoluta pyogenia, excepta cutis tensione, parum conqueritur, nec aliis indigemus remediis praeter potum largum, tepidulum, subacidum. Sin contra pustulae copiosae febrisque major, hujus vis moderanda, purisque resorpti, ne damna paret, exitui favendum erit.

Moderamus vero febrim potibus refrigerantibus, imprimis acidulis, quo in casu acida mineralia multum diluta in apto vehiculo mucilaginoso, ob facilem putredinis evolutionem, primum occupant locum. Ut puris resorptio impediatur *Ant. de Haen* 3) pluresque alii antiquiores medici, variolas turgentes tenera forfice praescindere spongiisque cum aqua tepida et lacte abstergere et fovere iterum iterumque jussere :

1) *Richter* op. cit. p. 248.

2) Op. cit. p. 248.

3) Ratio medendi p. 59.



id quod inter recentiores quoque *P. Frank* 1), *Hufeland* aliique comprobavere. *Richter* 2) contra, quum, pustulis irritatis febrim augeri, suppurationem per accessum aëris atmospherici depravari ac deformes in cute cicatrices timeat, illi operationi nequaquam consentit; quam celeberr. *ab Hildenbrand* 3) ad solos casus pustularum valde turgentium et dehiscere cunctantium, vel ichoroso et rodente latice refertarum, limitandum censet. In nosocomio Viennensi pustulae consulto adpariri nunquam solent, quin reliquis faventibus, aliquid noxii inde observaretur.

Consultius esse videtur rerorpto puriper urinales, quas ipsum saepe selegerit, vias exitum adjuvare, in quem finem *Richter* 4) aquas Selteranas vel meras vel lacte remixtas, decoctum graminis vel taraxaci et similia recommendat. Nec rariora sunt exempla, ubi natura per criticum quasi alvi fluxum, hoc tempore saepius intrantem, resorptam materiem variolosam, ut ita dicam, eliminare studet; qui non sistendus quidem, si salutaris est, nequaquam vero intestina purgantium fortiorum vi ad diarrhoeam cogenda, sed alvus blande tantummodo solvenda.

Quod palpebras hoc stadio frequenter clausas ac conglutinatas adinet, eas nisi dolorem simul aegrotus ac ingentem in oculis ardorem accuset, committimus naturae; hoc vero ultimo in casu, decocto malvae aut lacte tepido fovere oculos ac separatis tenero digito palpebris paucas istius aut materni lacticis guttulas instillare aut per syphonem tenuem injicere acresque lacrymas eluere conducet.

---

1) Op. cit. p. 204.

2) Op. cit. p. 250.

3) Op. cit. Tom. IV. p. 268.

4) Op. cit. p. 251.

Ast omnia, quamvis convenientia huic stadio, remedia vix proderunt, nisi summae, tum atmosphaerae tum rerum, quae aegrotos circumdant, puritati ac munditiei studeatur. Hinc et lintea et indusia caute mutanda, aërq̄ue cubiculi, effluviis contaminatus, saepius renovandus. Aceti hinc vapor per cubile expansus, chloras calcis et quaecumque aëris corruptioni resistunt, in auxilium vocentur oportet.

Praeterea in variolis, quamvis benignis, hocce in stadio, subdolae perquam timendae sunt metastases; quas factas inquietudo, anxietas, sopores vel pervigilia et deliria ferocia, rauco magna cum dyspnoea, fauciumque dolore summo ac spasmis indicabunt, pustulis simul repente collapsis et flaccidis, faciei ac manuum tumore subsidente, viribusque cito prostratis. Tali in casu tristi, pro varia hujus retrocessus causa et pro varia novae aegritudinis indole, methodus medendi diversa ex artis regulis instituenda. Hinc ubi grave animi pathema praecesserit, antispasmodica, valerianae infusum opiumque ipsum; ubi nova forte saburrarum in ventriculo vel intestinis collectio has turbas excitaverit, emeticum aut purgans, ubi refrigerium ac suppressa transpiratio praeiverit, infusa diaphoretica, tartari emetici refractae doses aut camphora, moschus, aether vitrioli, balneumque tepidum; ubi virium jactura compareat nutrientia stimulantibus nupta, vini generosi potio, valerianae vel serpentariae infusum corticisque peruviani decoctum, et excitantia externa sinapismi scilicet et vesicantia indicantur; quibus remediis aegrum salvum reddere saepe continget.

*Stadium exsiccationis.* Pustulis arescentibus non alia ac stadio praegresso indicantur remedia, praepriis vero leniter diaphoretica et mitiora per alvum evacuantia, tamarindi, manna in sero lactis soluta etc.

locum merentur. Magno quo nunc æger molestus est, crustarum pruritus, illito oleo amygdalarum blanditur illarumque delapsus promovetur. Infantes præterea bene observandi, manusque sæpe ipsis ligandæ, ne scalpendo cutem nimis irritantes foedas cicatrices sibi concilient. Crustis quam plurimis delapsis, ad purgandam cutem ejusque functionem expediendam, balnei tepidi applicatio optime conducit.

Victus nunc magis nutriens, vini meracissimi subinde moderatus usus, aër purus ac rusticatio, amicorum consortia, mentis a curis domesticis laboribusque quies, modica corporis exercitia, virium restorationi quam maxime favebunt.

## B. Cura variolarum anomalarum.

Inter variolarum anomalias therapiae modificationem requirentes, quæ diverso febris characteri debentur, primum occupant locum, idque jam ex eo, quod in regularibus quoque tractandis febris prima ratio habenda. Anomaliae ab ipso exanthemate desumptæ, quarum singulæ peculiari febris characteri respondere solent, propriam non requirunt curam, diversimode autem pro variis quæ simul adsunt, complicationibus modificanda curatio.

*Variolæ inflammatoriae.* Rarius hodierno tempore variolas comitans febris ad summam inflammationis potentiam ascendere viscerumque inflammationem provocare solet. Quod si accideret, therapia antiphlogistica eaque generosior instituenda esset, neque, imprimis si plethoricus ac robustus est æger, si pulsus pleni, celeres ac duri, si respiratio cita laboriosa, præcipue si dolore pungente et fixo decubitus in uno alterove latere denegatur atque suspirium profundum doloris augmentum ac tussim provocet, si facies valde rubra ac tumens jam ante eruptionem, oculi rubentes

ae turgescences, cephalalgia vehemens calorque nimius, amplius cunctandum venaesectione, ac tantum abest ut a sanguinis missione, prudenter ac pro virium ratione instituta, impediatur exanthematis eruptio, ut certius ista pro expellendis in cutem variolis non habeatur, rebus ita constitutis, remedium; imo phlebotomia pro violentia symptomatum habituque aegri sub morbi decursu repetenda. In tenerioris aetatis infantibus venaesectionem per hirudinum adplicationem, quantum licet, supplere conamur, quibus etiam fracta per venaesectionem phlogoseos vi et perstante ad singulas partes inflammatione vel sanguinis congestione, locus. Praeterea alia simul remedia antiphlogistica in subsidium vocanda sunt, ut potus emollientes, oxymelle vel succo citri saccharoque remixti, ac emulsiones nitro refrigerantes; imprimis vero, alvo simul clausa evacuantia antiphlogistica conducunt, enematibus adjuva. Epistaxis, rebus ita se habentibus, interdum sponte in magnum aegri levamen intrans, sustentanda erit. Ubi eruptione facta status phlogisticus perstat, iisdem oppugnetur principiis. Suppurationis tempore febris inflammatoria plerumque multum mitigataprehenditur, sin contra necessitas urgeat, ne nunc quidem venam aperire abhorreat medicus. Ad exsiccationis usque tempus vix unquam extenditur inflammatio et tantummodo incalcandum, nutrientia et roborantia non nisi cautissima porrigenda esse manu.

*Variolae gastricae.* Variolae si gastrica, in quam ceteroquin maxime inclinant, feбри juncta incedunt, cautam requirunt sordium evacuationem, quum, et nulla in intestinis saburra haerente, symptomata sic dicta gastrica, morbo varioloso consuetissima inveniuntur, atque aegro incongrua catharsi irreparabile damnum parari possit. Si autem revera sordes gastricae primas vias infestant reliquis evacuantibus praeferen-

dae sunt minores tartari emelici doses, quae turgescentia sursum obtingente, aequae facile vomitui provocando, ac si deorsum, alvo evacuandae sufficiunt, simulque in cutem agunt nec vires nimis labefactant. Specifica tamen semper saburrae indoles aut pituitosa aut biliosa in medendo semper respicienda. Compositis sordium gastricarum turbis, morbus ceteroquin simplex, ut talis tractetur, sepositis inprimis suppurationis tempore remediis purgantibus.

*Variolae nervosae.* Quodsi in variolis febris nervosa dominetur aut incipienti jam morbo nupta aut adulto superveniens, methodus febris nervosae respondens eligatur oportet, atque bene respiciendum an illa *versatilis* vel *torpida* magis incedat, et sedulo perpendendum num *virium* adparens modo, *spuria* ut dicitur, an *vera debilitas* symptomatibus nervosis subsit.

Medicaminum selectum quod adinet hic notasse sufficiet, *versatili* feбри convenire stimulantia diffusibilia, in quibus excellunt: Camphora, herba Melissae et Menthae crispae, flores Chamomillae, radix Valerianae, spiritus cornu cervi, acida mineralia dulcificata, horumque remediorum varia inter se vel et, ingruente suppuratione, cum roborantibus, quorum princeps in variolis china, et acidis mineralibus connubia; vesicantibus denique vel qui hic praestant sinapismis nequaquam neglectis.

Ubi status contra magis *torpidus*, praeter vix adlata stimulantia diffusibilia majori exhibenda dosi, radix Angelicae, Imperatoriae et Serpentariae, flores et radix Arnicae, cortex Cinamomi et Cascarillae, Cariophylli, alcali volatile, spiritus dulcificati, tincturae spirituosae aromaticae, olea aetherea, in connubio cum divini Corticis praeparatis, moschus et vinum generosum singulari virtute eminent. In quibus vero *spuria* viget debilitas pro diversitate obstaculi vel organici vel

extranei, diversa convenient remedia, quae inter venaesectiones, emetica vel purgantia, antispasmodica, vesicantia ellotiones frigidae atque aura camphorata singularem, posita pro singulis indicatione, merentur laudem.

*Variolae putridae.* Variolis, febris putridi characteris notatis, regimen subfrigidum et remedia antiseptica quam primum opponenda sunt; quorum principalia acida vegetabilia iisque potiora mineralia, cortex peruvianus vel forma decocti saturati, extracti vel tincturae, additis stimulantibus diffusilibus, imprimis acidis mineralibus dulcificatis. Vesicantium usus in putrido statu non admittitur. Quae fors exoriuntur haemorrhagiae ex naribus, utero aut intestino recto, sistantur fomentis frigidis, injectionibus ex decocto chinae, solutione aluminis vel acido sulfurico aqua diluto, atque pennis ac turundis, quae ex linteo carpto ac vix dictis liquidis imbutae, ostiis cruorem eructantibus infarciuntur. Ad praecavenda exulcerationes gangraenosas camphorae magnis in dosibus externe adhibitae atque tum linteis susceptae tum linimenti sub forma variolis illitae, magna virtus eventu comprobatur. Oborta vero jam ulcera vel sphacelus ipse unguento camphorato cum myrrha atque fomentationibus antisepticis ex decocto corticis chinae, quercus vel infuso rutae cum aceto aromatico aut acido pyrolignoso paratis, et similibus egent. In casu gangraenae humidae cum copiosa ichoris secretionem pulvis corticis peruviani florumque chamomillae carbone mixtus, bis de die inspersus, egregie quoque convenit. —

---

## L i t e r a t u r a .

### Opera bibliographica.

- Krönitz J. G.* Verzeichniss der vornehmsten Schriften von den Kinderpocken und deren Einimpfung. Leipzig. 1768.
- Olberg Franz*, Beiträge zur Literatur der Blattern und deren Einimpfung, v. J. 1768. B. I. Hannover. 1791.
- Dr. Joh. Bernstein*, Medicinisch - chirurgische Bibliothek von 1750 — 1828. Frankfurt a. M. 1829.

### Opera historica.

- Joann. Gothofr. Hahn* Variol. antiquit. nunc primum e Graecis erutae etc. Brigae 1733.
- Paulus Gottlieb Werlhof*. Disquisit. Med. et Philolog. de Variolis et Anthrac. Hannoverae 1735.
- J. G. Hahn* Carbo pestilens a carbunculis, sive Variolis veterum distinctus; etc. Vratislavia. 1736.
- Mead* de variolis et morbillis. Goett. 1748.
- Gruneri* morborum antiquitates. Vratisl. 1774.
- Paulet* Histoire de la petite Vérole. T. II. à Paris 1768.
- Trilleri* epistolae duae de anthracibus et variolis veterum. In ejus opusculis medicis. Francof. 1766.
- Reiske*, Opuscula medica ex monumentis Arabum et Hebraeorum. Halae 1776.
- Schnurres* Chronik der Seuchen. Tübingen 1823.
- Sachs* de originibus variolarum. Regiom. 1824.
- Krause C. F. Th.* über das Alter der Menschenpocken und anderer exanthematischen Krankheiten. Hannover 1825.

*Sprengel* Geschichte der ersten Ausbreitung der Pocken im Abendland. In den Beyträgen zur Geschichte der Medizin I. Bd. 1. St.

*Opera pathologica et therapeutica.*

*R. Mead's* Abhandlung von den Kinderpocken und Masern. A. d. Engl. v. Neuhofer. Augsb. 1762.

*Hensler Ph. G. D.* Tentamina et observationes de morbi variolarum natura. Götting. 1762.

*Rhases* de variolis et morbillis. Arab. et Latin. Londini. 1766.

*Closius J. F.* Neue Heilart der Kinderpocken a. d. Lat. Ulm. 1769.

*C. L. Hoffmann*, Abhandlung von den Pocken. Münster 1771.

*Sarcone* del contagio vajuolo e della necessità di tentare l'estirpazione. Napoli 1773. A. d. Ital. v. *Lentini*. Goett. 1782.

*Hoffmann* Pathologie der Pockenkrankheit. Leipzig. 1782.

*Stunzer J. C.* Über die Pocken und deren Einimpfung. Wien 1784.

*Hufeland*, Bemerkungen über die natürlichen und geimpften Blattern. Berlin 1798.

*Hopfengärtner*, Beobachtungen über die Pockenkrankheit. Stuttgart 1799.

*Hildenbrand*, Bemerkungen und Beobachtungen über die Pocken. Braunschweig 1788.

*Th. Sydenham* de variolis, in ejus operibus omnibus ed. C. Gottl. Kühn. Lips. 1827.

*Joan. Huxham* de variolis in ejus opp. om. ed. Alb. Fridr. Haenel. Lips. 1829.

*Ger. van Swieten*, in ejus Commentariis in aphorismos Herm. Boerhaavii. Tom. VII. Venetiis 1772.

*Burserii*, Instit. pract. med. T. II. Cap. IX.



- Rosenstein* Anweisung zur Kenntniss und Kur der  
Kinderkrankheiten, a. d. Schwed. v. And. Murray.  
Wien 1793.
- D. Samuel Gottlieb Vogel*, Handbuch der prac-  
tischen Arzneiwissenschaft. III. Th. 3. Ausg. Sten-  
dal 1820.
- D. Aug. Gottl. Richter*, die specielle Therapie II. Bd.  
*Valentini nob. ab Hildenbrand* Institutiones  
practico-medicae; edidit filius Franc. nob. ab Hil-  
denbrand. IV. Tom. Viennæ 1825.
- Petr. Frank* Epitome de cur. hom. morb. Vol. III.
- Joh. Nep. Edler v. Raimann* Handbuch der spe-  
ciellen med. Pathologie und Therapie. 2 Bände.  
4. Aufl. Wien 1831.



## Theses defendendae.

---

I.

**T**heoria medicinae non est, quae ad medendum non ducit.

II.

**N**evroses non semper sunt passiones dynamicae totius systematis nervosi, sed illis saepius subest materiae medullaris materialis alienatio.

III.

**O**mne contagium materiale.

IV.

**M**orbus pro contagioso declarari non potest, priusquam conductor contagii non constet.

V.

**C**holera non est morbus contagiosus.

VI.

**M**ethodus stimulans in feбри adynamica nervosa ut prosit mature instituenda et per gradus intendenda.

VII.

**N**emo felix medicus qui genio epidemico non indulget.

VIII.

Variolae genii epidemici barometron.

IX.

Datur febris variolosa sine variolis.

X.

In variolis sicut in reliquis exanthematibus tractanda febris.

XI.

Insitioni variolarum vaccinatio multum praeferenda.

XII.

Vaccinatio est unica et tuta variolarum prophylaxis.

XIII.

Febris intermittens est morbus nervosus.

XIV.

Morbi epidemici cyclicum reditus ordinem observare videntur.

---